Jan Theodor

JOANNIS THEODORI BEELEN

CAN. HON. ECCL. CATHED. LEOD. S. THEOL. DOCT., IN ACADEM. CATH. LOVAN. S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTT. PROF. ORD.

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM S. PAULI

AD

PHILIPPENSES.

ACCEDUNT TEXTUS GRÆCUS ATQUE LATINUS, ET CONTINUA TOTIUS EPISTOLÆ PARAPHRASIS.

EDITIO SECUNDA, AUCTIOR ET CORRECTIOR.

LOVANII

APUD C. J. FONTEYN, BIBLIOPOLAM.

1852.

Prostat

Bruxellis apud GOEMAERE; Amstelodami apud LANGENHUIZEN; Sylvæ Ducis apud Fratres VERHOEVEN; Parisiis apud Eug. BELIN; Bonnæ apud MARCUS; Londini apud BURNS and LAMBERT.

LOV. TYPIS G. ROBYNS.

PRÆFATIO

PRIORIS EDITIONIS.

Cum ante annos hos duodecim ad studium sacræ exegeseos in Academia Lovaniensi moderandum vocarer, hanc continuò mihi legem posui, scripto ut consignarem, breviter licet ac summatim, ea omnia quæ divinæ Scripturæ publicus interpres discipulis meis essem traditurus. Mens mea erat, commentationes exegeticas, quas sic mihi parassem, identidem corrigere, et quando sacræ Scripturæ partem aliquam secunda vice essem in schola expositurus, ea quæ in hanc partem fuissem commentatus, secundis subjicere curis. Attamen de edendo aliquando in lucem exegeticas aliquas meas lucubrationes neque tum cogitabam, nec deinceps ejus rei faciendæ consilium cepi umquam. Et verò neque etiam nunc illud facere mihi constitutum esset, nisi me ad hoc faciendum impulissent causæ sane quam gravissimæ, quas tamen hic afferre nihil attinet.

Igitur publici juris nunc facio commentationes meas in Epistolam S. Pauli *ad* Philippenses, *quas, Deo bene volente, brevi secutura est interpretatio libri* Actuum Apostolorum [1].

De ratione studii mei exegetici ut paucis hic dicam, ego in commentando sacram Scripturam ita continuò versor, ut, lege illâ sapientissimâ, quam Patres Tridentini [2] *Catholico interpreti scripsêre, religiosè observatâ, ceterum meo ubique modeste utar judicio, in nullius verba jurare addictus. Sanctorum Patrum scripta exegetica diligenter soleo percurrere; quibus addo ex interpretibus medii ævi* OEcumenium, Theophylactum, Euthymium *ac* S. Thomam, *et ex recentioribus exegetis præcipuos, ut ita quæ ab aliis sunt inventa rectèque disputata*

---

(1) Commentarium hunc in Acta Apostolorum in lucem edidi anno 1850—51.

(2) Sess. IV.

in meos usus convertam. Cumque fieri omninò non possit ut recta sit interpretatio quantumcumque videatur speciosa, si aut peccet in Grammaticam, aut falsas vocabulis subjiciat notiones, et Grammaticæ leges sancte ubique observo, et in definiendo vocabulorum significatus ago quam cautissimè. Magnam porrò operam figo in deprehendendo et rectè assignando logico sententiarum nexu; quæ res ut sæpè est, in Paulinis præsertim epistolis, longe difficillima, ita quoque non raro ab interpretibus fuit neglecta. Denique, quod attinet ad scientiam Religionis ex divinis Scripturis potissimùm hauriendam, si quod doctrinæ caput jam ipsâ sacri contextûs interpretatione lectori Theologo satis innotescat, ab eodem distinctius indicando abstineo; si verò ex declaratis Scripturæ verbis ope alicujus ratiocinii sit eruendum, doctrinam sic veluti latentem uno alterove verbo soleo patefacere.

Atque hæc de mea Scripturam sacram commentandi ratione hic universè præmonuisse non inutile fuerit. Ad præsentem commentationem quod spectat, interpretationi partitò præmisi et versionem Vulgatam et contextum Græcum [1]*; id quod ad commodiorem usum mei commentarii facturum est. Addidi præterea novam totius epistolæ paraphrasin* [2]*, ut hoc modo mentem meam circa Paulinarum sententiarum intelligentiam earumque connexum apertius exprimerem atque distinctius significarem.*

Sed hæc hactenus. Superest ut bonorum omnium largitori Deo gratias agam pro absoluto hoc labore, qui ut ad majorem ejus gloriam fuit susceptus, ita et in illam abundanter cedat.

AUCTOR.

Scribebam Lovanii VI Cal. Febr. MDCCCXLIX.

---

(1) Textus Græcus expressus est ad exemplar Complutense. Lectiones variantes adjecimus illas tantum quæ essent alicujus momenti; ceteras neglexīmus. Textum Vulgatæ in altera hac editione imprimendum curavimus secundum editionem Vaticanam anni 1598, adhibitis etiam tribus, quæ illi editioni addita fuēre, Correctoriis; nec verba tantùm ad illud exemplar expressimus, verùm ipsam quoque, quæ ibi habetur, verborum interpunctionem servavimus. Quod ideò hic monemus, ut, si cui hæc interpungendi ratio alicubi forte minus placeat, non continuò putet ibi mendum irrepsisse typographicum. In Græco verò textu orationem ipsi pro nostro judicio interpunximus.

(2) *Paulinarum* epistolarum paraphrasis, quæ quidem hoc nomine digna sit, talis esse debet ut quæcumque ab Apostolo obscurius dicta sunt, verbis *clarioribus* ibi enuntientur; ut ipse styli color servetur, adeòque quæ figurata oratione ab Apostolo expressa sunt, figurata quoque oratione ibi reddantur; ut nec *omittatur* aliquid eorum quæ ab Apostolo dicta sunt nec eisdem aliquid *addatur*; denique ut sententiæ, nihil mutatâ ratiocinii formâ, eodem logico nexu inter se cohæreant quo Apostolus eas conjunxerit.

PROLEGOMENA

IN

EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

§ 1. *De urbe Philippis.*

Urbs *Philippi*, a quâ dicti sunt *Philippenses*, sita erat in Macedonia, in finibus Thraciæ, prope *Pangœum* montem, et ferè ad oram maris Ægæi. Ob multos qui illo in loco scaturiebant fontes, primùm, ut videtur, *Κρηνιδες* (*scaturigines*) dicta fuit, deinde *Δατος*, postremùm vero *Philippi*, ducto nomine ab ejusdem expugnatore Philippo, Alexandri M. patre, qui eam et ampliorem reddiderat, et vallo muniverat contra *Thracum* incursiones [1]. Beneficio Cæsaris Augusti facta erat colonia Romanorum jureque Italico donata [2]. In agro Philippis confini Octavius Augustus celebrem illam consecutus est victoriam, qua, Bruto et Cassio devictis, totius Romani Imperii monarcham se constituit, abolitâque populari formâ regiminis, antiqui orbis statum mutavit. Quodsi ea res, quæ in campis Philippicis gesta dici potest, magnam huic urbi celebritatem attulit, longè tamen celebrius *Philipporum* nomen inde factum est, quòd salus a Jesu Christo orbi terrarum parta, ibi primùm in *Europa* publice fuit annunciata, ut jam jam sumus dicturi.

---

(1) Οἱ δε Φιλιπποι πολις εστιν, ἡ Δατος ονομαζετο παλαι, και Κρηνιδες ετι προ Δατου· κρηναι γαρ εισι περι τῳ λοφῳ πολλαι. Φιλιππος δε, ὡς ευφυες επι Θρᾷκας χωριον, ωχυρωσε τε, και αφ' ἑαυτου Φιλιππους προσειπεν. h. e. « *Philippi* autem urbs est, quæ olim *Datos* vocabatur, et prius *Crenides*; nam κρηναι (*fontes*) multæ sunt circa eum collem (*in quo sita urbs est* . Philippus hunc locum, ut opportunum adversus Thraces, munierat, et de suo nomine Philippos appellaverat. » Appianus. *De bell. civil*. Lib. IV. Cap. 105.

(2) *Act. Ap.* Cap. XVI. 12.: *Venimus.... inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia.* Quo sensu Philippi ibi *prima civitas* (πρωτη πολις) vocetur, in commentario nostro ad hunc locum diximus. — *Digest*. 8. 8. « Colonia Philippensis juris Italici est. » Ulpianus (apud Steph. le Moyne (in *Var. Sacr*. tom. 2. pag. 64): « In provincia, *inquit*, Macedonia, Dyrracheni, Cassandrenses, Philippenses...... juris Italici sunt. » Antiquæ urbis ruinæ adhuc deprehenduntur prope *Felibam*, pagum exiguum. Cf. Cousinery, *Voyage dans la Macédoine*. Paris 1831.

§ 2. *De ecclesiæ Philippensis ortu et primordiis.*

De ortu et primordiis Philippensis ecclesiæ exstat in libro Actûum Apostolorum (Cap. XVI. 6-40) narratio, quam hic paululùm contractam exhibemus. Paulus ergo *Asiâ* minori magnam jam partem peragratâ, unà cum peregrinationis suæ sociis *Troadem* iverat eo consilio, ut in illa quoque regione Evangelium prædicaret. Ibi autem cum venisset, divinitùs admonitus fuit, ut *Troade* relictâ, navigaret in *Macedoniam*. Videlicet in Dei decretis erat, ut lux Evangelica jam nunc in *Europa* quoque exoriretur. Itaque Paulus nihil cunctatus, unà cum sociis, Timotheo, Sila, ac Luca, Troade solvit [1], et postera die appulit *Neapolim*. Hinc verò Apostoli, divino mandato obsecuti statim adierunt Philippos; nam hæc urbs venientibus a *Neapoli* primùm obvia erat inter Macedonicas [2]. Ibi, Evangelium pro more primùm prædicaturi Judæis [3], insequente die sabbati locum adierunt, ubi illi sacros suos conventus agere solebant [4]. Eò tum forte non convenerant nisi tantum feminæ nonnullæ. Quibus cum Evangelii doctrinam annunciasset Paulus, illarum una, Lydia nomine, fidem Christianam professa, baptismum accepit unà cum sua familia. Paucis post diebus fidem Christi amplexus quoque est urbani carceris custos, cumque eo domestici ejus omnes. Res sic contigerat. Publicè Paulus dæmonium fatidicum ejecerat ex muliercula quadam, quæ divinando quæstum non mediocrem afferebat dominis suis. Qui quum probe intelligerent, unà cum egresso dæmone periisse quoque sibi quæstum suum, Paulum et Silam, ultionis causâ, apprehensos [5] in forum

---

(1) Lucas videtur Troade demùm se Paulo ceterisque comitem adjunxisse. Vide commentarium nostrum in Act. Ap. ad Cap. XVI 10.

(2) Cf. quæ notavimus ad Act. Ap. Cap, XVI. 12.

(3) Vide nostra ad Act. Ap. Cap. XIII 5. 46. XVII. 2.

(4) Locus ille erat extra urbem, ut patet ex Act. XVI. 13. Quod dicit ibi Lucas, *οὐ ενομιζετο προσευχη ειναι* (Vulg. *ubi videbatur oratio esse*), illud reddiderim, *ubi solebat esse oratorium aliquod.* Scilicet sicubi Judæi synagogam in urbe habere non possent, mos illis erat oratoria sua ad fluminum ripas aut litora maris constituere, quo aqua ipsis suppeteret ad lotiones eorum rituales. Pertinet huc id quod legitur in Decreto Halicarnassensium (apud Wolfium in *Curis* ad h. l.): *Δεδοχθαι ἡμιν, Ιουδαιων τους βουλομενους ανδρας τε και γυναικας τατε σαββατα αγειν και τα ἱερα συντελειν κατα τους Ιουδαικους νομους, και τας προσευχας ποιεισθαι προς τῃ θαλασσῃ κατα το πατριον εθος.* h. e. « *Placuit nobis, ex Judæis quicumque voluerint viri sive mulieres, tum sabbata celebrare, tum sacra peragere juxta leges Judaicas, et Proseuchas facere ad mare pro patrio more.* » Cf. etiam Vitringam, de *Synag. Vet.* pag. 119. sqq. — Ad Verbum *ενομιζεσθαι* quod attinet, haud raro, ut scribit Kuinoel (ad Act. XVI. 13), illud notat *in more esse.* Ita legitur apud Aristoph. *Plut.* 625: *ὡς νομιζεται*, *ut moris est.* Xenoph. *Anab.* VII. 3, 1: *Ελεγον ὅτι νομιζοιτο ὅποτε επι δειπνον καλεσαι Σευθης, δωρεισθαι αυτῳ τους κληθεντας.* h. e. *Esse aiunt in more, ut si quando ad cœnam aliquem vocet Seuthes, invitati munera quædam ipsi donent.* » Hinc *τα νομιζομενα* sunt *quæ more sunt recepta.* Herodot. Lib. 1. 35: *Τα Διονυσῳ νομιζομενα τελεισθαι παρα τοις Ἑλλησι*, h. e. *Quæ apud Græcos Baccho fieri solita sunt sacra.*

(5) Timotheus et Lucas abfuisse videntur cum hæc fierent.

ad Magistratus oppidanos pertraxerant, accusaverantque quod perturbarent publicam quietem, et introducere conarentur novam quamdam religionem [1]. Quam accusationem cum audisset plebs quæ adstabat ibi, tumultuari incœperat et insurgere in Apostolos; Magistratus autem ut furentibus satisfacerent, Paulum et Silam indemnatos flagris cædi jusserant et in carcerem detrudi.

Ibi verò accidit, ut media nocte ingens subitò fieret terræmotus, adeò ut totus carcer a fundamentis concuteretur; januæ quoque carceris patefactæ tum fuerant omnes, omniumque, qui ibi jacerent, vincula soluta. Eo autem terræmotu e somno excitatus carcerarius, quum ad carcerem accurrisset apertasque reperisset januas omnes, ratus effugisse vinctos, gladio sibi necem inferre voluerat. Paulus autem quum satis opportunè rem per tenebras discerneret, homini acclamaverat, ne quid mali sibi faceret; nam vinctos in carcere adesse universos, aufugisse neminem. Carcerarius ergo cum, allatis lucernis, vidisset rem habere sicut Paulus illi dixerat, et nunc sentiret, ea quæ gesta heic erant, gesta fuisse vi quadam humanâ superiori, sacro quodam horrore jam perculsus, tremefactus prociderat ad pedes Pauli et Silæ, eosque e carcere in aedes suas eductos rogaverat, quid sibi faciendum esset ut salutem animi consequeretur. Videlicet satis perspexerit carcerarius, Paulum et Silam non aliâ de causâ in carcerem fuisse conjectos, quam quòd novam quamdam religionem introducerent; et facile quoque inaudiverit de salute quâdam æternâ, quam religionem illam amplectentibus Apostoli promitterent. Itaque, quum post ea omnia quæ acciderant, auxiliante illi divina gratia, satis persuasum haberet carcerarius, Paulum et Silam viros esse sanctissimos, et vera esse quæ prædicarent, de sua salute homo sollicitus ab iisdem quæsivit, quid se facere oporteret ad eam consequendam. Hac ergo opportunitate usi Apostoli, post brevem Christianæ doctrinæ expositionem, carcerarium ejusque domesticos, quum sinceram omnium fidem satis exploratam haberent, sacro baptismate lustraverant.

Atque hic fuit Philippensis ecclesiæ ortus, hæc primordia. Quamquam vero sacra historia, ut modo videbamus, disertè non nisi duas tantùm memorat Philippenses familias ad fidem Christianam conversas, plures tamen fuisse ex ejus urbis incolis qui eodem tempore Christo nomen dederint, satis certò inde colligitur quòd Lucas narrat (℣. 39), Paulum et Silam postridie e carcere honorificè eductos, aliò fuisse profectos, *postquam Lydiam* ceterosque Christianos Philippenses *invisissent.*

Paulo et Sila aliò proficiscentibus, Lucas et Timotheus Philippis remansisse videntur. Lucas enim, qui inde a Cap. XVI. 10 Paulo ejusque comitibus se accensuerat, jam (a Cap. XVII. usque ad XX. 5) de iis rursus in tertia persona loquitur. Et Paulus cum brevi tempore post quam Philippos reliquerat, Thessalonicæ Evangelium prædicasset ibique nonnulli Evangelio

---

(1) Philippenses, ut supra vidimus (Prolegom. § 1), erant *colonia* Romanorum. Atqui Romanis non licebat Deos colere, nisi qui publica auctoritate essent constituti. « Cautum fuerat, *inquit* Servius (ad Virg. Æn. 8. 187. apud Kuin. a.h.l.), et apud Athenienses et apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones, unde et Socrates damnatus est, et Chaldæi vel Judæi Urbe depulsi. »

credidissent, LUCAS hoc ita narrat: *Et quidam*, inquit, *ex eis crediderunt et adjuncti sunt* PAULO et SILÆ; aberant ergo tunc temporis tam LUCAS quam TIMOTHEUS.

Ergo, ut modo dicebamus, cum PAULUS et SILAS Philippos relinquerent, LUCAS et TIMOTHEUS ibi remansisse videntur. Horum ergo virorum operâ cœtus christianus Philippensium majora in dies incrementa ceperit.

Ex iis autem, quæ narrat LUCAS (Act. Ap. Cap. XX. 1-7), colligimus, christianos Philippenses semel ac iterum a PAULO fuisse revisos, quod nascenti illi ecclesiæ quin multum profuerit, quis dubitet? Ceterùm, quo tempore scripta est hæc epistola, Philippenses jam coaluisse in justum ecclesiæ corpus, id quidem satis docet ipsa ejus epistolæ inscriptio: *Paulus et Timotheus.... omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus.* Excelluisse autem Philippenses vitæ ratione verè Christiana, ipsa quoque hæc epistola testis est; nam ut ibi nulla in iis graviora vitia notantur, ita e contrario plura dicuntur quæ ad ipsorum laudem et commendationem faciunt. Præclarus sane christianorum cœtus fuerit ille, ad quem Apostolus scribere potuit: *Vobis donatum est pro* CHRISTO, *non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (Cap. 1. 29).

Ecclesia Philippensis maximam quidem partem ex Gentilibus coaluerit; attamen, quum inter cives Philippenses etiam essent Judæi (*Act. Ap.* XVI. 13), pronum est judicare, etiam horum nonnullos fuisse qui Christo nomen tunc dederint.

Atque hæc de coetu Christianorum Philippensium ortu et primordiis dicta sunto.

§ 3. *De causa epistolam scribendi.*

Paulò post quam Philippenses suos secunda vice revisisset (Ac. XX. 6) Apostolus, Hierosolymam profectus est (Cap. XXI); hinc vero a JULIO centurione vinctus ductus est Romam, ibique in carceren conjectus (Cap. XXVII—XXVII). Atque hæc *priora* ejus fuerunt in Urbe vincula. Itaque *Philippenses* cum accepissent, PAULUM, quem in primis diligebant, Romæ captivum detineri, EPAPHRODITUM cum pecuniario subsidio ad eum ablegaverant: nam, ut res sollicita est amor, ita facile suspicati fuerint, magistrum suum carissimum inopia laborare. Ex EPAPHRODITO autem Apostolus tum didicerit, in universum quidem maximopere laudandos esse *Philippenses* ob vitam eorum bene christianam; attamen non deësse inter eos qui superbia intumescerent, indeque enatam fuisse hic illic quamdam animorum discordiam. Ab eodem præterea edoctus fuerit, monendos esse *Philippenses*, ut sibi caverent a certis quibusdam doctoribus judaizantibus.

Ergo, ut et hoc periculum depelleret, et illi malo mederetur, Apostolus ad Philippenses suam dare voluerit exhortatoriam epistolam, quam afferret EPAPHRODITUS, jamjam *Philippos* reversurus.

§ 4. *Argumentum epistolæ.*

Præmissâ salutatione, declaratoque impensissimo suo erga Philippenses amore, eosdem edocet, vincula sua promovendæ rei Evangelicæ mirifice profuisse. Deinde significat, certò se sperare, fore ut brevi ex suis vinculis liberetur, eosque invisere possit. Tum, flexâ ad cohortationem oratione, eosdem cùm ad alias virtutes, tum imprimis ad concordiam animique modestiam enixe adhortatur, proposito etiam exemplo Jesu Christi, cujus et humilitatem et subsecutam gloriam ibi explicat. Post hæc, gravissime eos admonet ut sibi caveant a doctoribus judaizantibus, unàque docet, veram justitiam non a Lege sed a fide esse repetendam. Declarat ibi quoque Apostolus, se in stadio vitæ christianæ ad propositum præmium gnaviter currere, atque ad sui imitationem Philippenses suos invitat, observatque, Christianos, qui quidem tales esse velint quales esse debent, non terrena sapere sed cœlestia, neque in terris versari sed potius in cœlis, unde et venturum exspectant Christum Dominum remuneratorem. Tandem *peculiariter* matronas duas, Evodiam et Syntychen ad concordiam, et *generaliter* omnes ad variarum virtutum studium exhortatus, post gratias actas ob Philippensium erga se liberalitatem, epistolam claudit. Et hæc hujus epistolæ argumenti summa sunt capita.

Quid verò in unaquaque parte hujus epistolæ dicatur, et quonam modò variæ ejusdem partes inter se cohæreant, in fronte uniuscujusque capitis, antequam ad ejus interpretationem accederemus, summatim exposuimus. Illinc ergo petere licebit distinctiorem argumenti hujus epistolæ descriptionem.

§ 5. *Utrum una sit hæc epistola, an vero ex duabus diversis epistolis composita.*

Fuêre nostra ætate qui dicerent [1], epistolam quæ *ad Philippenses* in Canone nostro inscribitur, ab Apostolo non illam formam accepisse, quam nunc præ se fert, sed negligentiâ eorum qui Paulinas epistolas collegissent, factum fuisse ut duæ diversæ epistolæ tamquam una fuerint recensitæ. Qui vero hoc opinantur, duas illas epistolas ita distinguunt, ut priorem, quæ scripta sit toti cœtui Philippensium, absolutam fuisse velint verbis (Cap. III. ℣. 1): *De cetero, fratres mei, gaudete in Domino;* posteriorem vero incœptam fuisse dicant a verbis (Cap. III. ℣. 1): *Eadem vobis scribere*, datamque vel ad certos quosdam Pauli familiares, qui essent inter Philippenses, vel, quæ Pauli *Heidelbergensis* conjectura est, ad ecclesiæ Philippensis episcopos et diaconos.

---

(1) J. Heinrichs *Ep. ad Philipp. perpetua annotat. illustr.* In Prolegom. pag. 33, sqq., et Paulus in *Heidelberger Iahrbücher*, *an.* 1812, pag. 702, sqq.

Verùm sunt hæc opinionum commenta, quæ, ut videtur, jam delevit dies. Et sane rationes, quæ afferuntur in istius novitatis defensionem, leviores sunt, quam ut diu et multis placere potuerint. Ad argumentum quod ducunt ex verbis Cap. III. ℣. 1 : *το λοιπον*, etc., quæ esse videantur indicium epistolæ jam claudendæ, respondebimus ubi in interpretando ad eum locum pervenerimus. De POLYCARPO vero docente PAULUM *plures* unâ ad Philippenses dedisse epistolas, videat lector, quæ scripsimus infra (Prolegom. paragrapho penultimo). Reliqua argumenta nihil opus est hic commemorare [1].

§ 6. *De authentia hujus epistolæ.*

Epistolæ, quæ *ad Philippenses* inscribitur, auctorem esse S. PAULUM Apostolum, jam ipsa epistolæ indoles satis manifestat. Nam sive spectes stilum scriptionis, sive attendas ad ejusdem sententias, sive tandem consideres animi affectus quos scriptor prodit, nihil prorsus ibi occurrit, quod non sit vere Paulinum.

Internis autem hisce argumentis consentiunt externa, quum scriptores antiquissimi et fere coævi eam epistolam PAULO Apostolo tribuant.

S. POLYCARPUS, in sua ad *Philippenses* epistola (Cap. 3.) hæc ad eos de PAULO scribit : *Ὁς γενομενος εν ὑμιν κατα προσωπον των τοτε ανθρωπων, εδιδαξεν ακριβως και βεβαιως τον περι αληθειας λογον· ὁς και απων ὑμιν εγραψεν επιστολας, εις ἁς εαν εγκυπτητε, κ. τ. λ.* h. e. « *Qui cum esset apud vos in conspectu hominum qui tunc vivebant, perfecte ac firmiter docuit verbum veritatis, qui et absens vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini*, etc. »

S. IRENÆUS (*adv. Hæreses*, Lib. IX. Cap. 18). « *Quoniam igitur cum simplicitate ecclesia offert, juste munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum et* PAULUS *Philippensibus ait :* repletus sum acceptis ad EPAPHRODITO quæ a vobis missa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo (Cf. Philipp. III, 10, 11). »

TERTULLIANUS (*De resurrectione carnis*, Cap. 23) : « *Sic quod elisum est suscitans, et quidem de terra in cœlum, ubi nostrum municipatum Philippenses quoque ab Apostolo discunt* : unde et salutificatorem nostrum exspectamus Jesum Christum, qui transfigurabit corpus nostræ humilitatis, conformale corpori gloriæ suæ (Cf. Phil. III, 21). »

CLEM. ALEXANDRINUS (*Pœdag.* Lib. I, pag. 107, *ed. Sylb.*), : *Αυτου ὁμολογουντος του Παυλου περι ἑαυτου· ουχ ὁτι ηδη ελαβον, η ηδη τετελειωμαι· διωκω δε..*

---

(1) Videsis de hac quæstione J. F. KRAUSE disserentem *de eo, an epistola* PAULI *ad Philippenses in duas epistolas easque diversis hominibus scriptas dispescenda sit.* In ejus *Opuscul. Theolog.* Regiomonti 1818. p. 1—22. SCHOTT *in Isagog. historicocritica in libros N. F.* § 70. HOELEMANN, in *Commentario* in Ep. ad Philipp. in Prolegom. VI.

κ. τ. λ. - h. e. « *Cum ipse* Paulus *de se fateatur :* non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim, sequor autem, etc. (Cf. Philipp. III. 12). »

Hæc tamen argumenta interna et externa non prohibuerunt, quominus authentiam epistolæ *ad Philippenses* in dubium vocaret Ferdinandus Baurius 1), in Tubingensi Academia publicus sacrarum litterarum Professor, homo videlicet malesanâ criticâ infamis; nec injuria; nam Novi Testament libros, paucissimis exceptis, supposititios esse omnes, suo demum iste judicio perspexit.

Ergo, post octodecim sæculorum inconsiderantiam, supposititiam esse epistolam ad Philippenses Baurius deprehendit, idque tum ex aliis indiciis 2), tum imprimis ex eo quod epistola illa *referta sit sententiis locutionibusque Gnosticorum propriis, quas quidem ejus epistolæ auctor adeò non refellat, ut contra potius ad rem suam eas accommodet* 3).

Baurium dum audisti seriò annunciantem, sententiis locutionibusque Gnosticorum propriis epistolam illam esse *refertam*, credideris allatum ab eo iri plaustrum istiusmodi sententiarum locutionumque : atqui tamen nihil aliud homo affert, quam unum locum illum, qui illius epistolæ capite secundo sic legitur :

5 Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: 6 qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : 7 sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. 8 Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. 9 Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : 10 ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium,

5 *Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, 6 *ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ*, 7 *ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλȣ λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος*. 8 *Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ*. 9 *Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα·* 10 *ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ*

---

(1) In libro suo recenter edito, cui titulus : Paulus, *der Apostel Jesu Christi. Sein Leben und Wirken, seine Briefe und seine Lehre. Ein Beitrag zu einer kritische Geschichte des Urchristenthums.* Stuttgard. 1845.

(2) Inde, exempli causâ : quòd sine nervis sit ejus epistolæ compositio; quòd argumentum sit minime Paulinum; quòd sententiæ malè inter sese cohæreant; tandem, ut mittamus reliquas κριτικωτατου hujus viri ineptias, quòd in ea fit mentio (Cap. 1. ỳ. 1) *episcoporum et diaconorum*, quorum quidem institutio, si Baurio credas, Pauli ætate recentior sit.

(3) En ejus verba: *Wie die beiden zuvor erörter-*

et infernorum, [11] et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.	*καταχθονίων*, [11] *καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός.*

Baurius ergo primus et solus detexit, *triplici argumento* ex hoc loco epistolæ ad Philippenses patere, auctorem ejus epistolæ placitis Gnosticorum fuisse addictum, eamque adeò epistolam Paulo auctori tribui non posse, quum Gnosticismus, ut ipse sentire videtur, post demum aetatem Pauli innotuerit. Et *primum* quidem *argumentum* ab eo ducitur inde, quòd auctor illius epistolæ dicit, *Christum οντα εν μορφη Θεου pro ἁρπαγμῳ non habuisse το ειναι ισα Θεου*, quod quidem ex Baurii interpretatione, tantumdem sit ac dicere: *Quamquam erat Deus, non tamen putavit rapiendam sibi esse aequalitatem cum Deo* [1]. Atqui hoc, inquit, insulsè dictum est; nam si Christus Deus jam erat, insulsè negatur voluisse fieri id, quod jam erat. Ibi autem animadvertit, inter Gnosticorum dogmata etiam hoc [2] de *Σοφια* doceri, quod scilicet temerario ausu præsumpserit unum fieri cum Patre perfecto ideoque delapsa fuerit in *κενωμα*. Et jam quum criticus noster videatur sibi videre similitudinem aliquam inter Gnosticum hoc dogma, et insulsum illud effatum: *quamquam erat Deus, non tamen putavit rapiendum sibi esse aequalitatem cum Deo*, — ex hac similitudine infert, auctorem ejus epistolæ imbutum fuisse Gnosticismo, adeòque Paulo auctori eam tribui non posse [3].

---

ten Briefe (intelligit autem epistolas ad Ephesios, et ad Colossenses) *bewegt sich auch der Philipperbrief im Kreise gnostischer Ideën und Ausdrucke, und zwàr gleichfalls so, dass er sie nicht sowohl bestreitet, sondern sich vielmehr an sie anschliesst, und mit der nöthigen Modification sich aneignet.* Cit. Op. Baurii pag. 458.

(1) « Welche eigenthümliche Vorstelling ist es doch, *inquit*, von Christus zu sagen, er habe es, obgleich er in göttlicher Gestallt war, nicht für einen Raub gehalten, oder, wie die Worte grammatisch genauer zu nehmen sind, es nicht zum Gegenstand eines *actus rapiendi* machen zu müssen geglaubt, Gott gleich zu sein. » Apud Lünemann. *Pauli ad Philippenses epistola.* Contra F. C. Baurium defendit Lünemann. Gottingæ, 1847. pag. 5.

(2) Vide S. Irenæum Lib. I. contra hæreses. Cap. II. 2. 3.

(3) Subjicimus hic Baurii verba, quamquam locus prolixior est. « Wie kommt, *inquit*, der Verfasser (auctor epistolæ) dazu, etwas so Undenkbares (ut est illud: *Quamquam erat Deus, non tamen putavit rapiendam sibi esse æqualitatem cum Deo*) auch nur verneinend von Christus zu sagen?... Wie sollen wir uns diess erklären? Die Möglichkeit, wie der Verfasser des Briefs auf einen solchen Gedanken kommen konnte, sehen wir in den Lehren der Gnostiker vor uns. Es ist eine bekannte gnostische vorstellung, dass in einem der Aeonen, und zwar in dem letzten in der Reihe derselbe, der gnostische Sophia, die leidenschaftliche, excentrische, naturwidrige Begierde entstand, in das Wesen des Urvaters, mit aller Macht einzudringen, um sich mit ihm, dem Absoluten, unmittelbar zu verbinden, und mit ihm Eins zu werden. Als ein *προαλλεσθαι*, ein rasches Hervorspringen, ein hastiges Streben, als eine *τολμη*, ein kühnes, gewaltthätiges Unternehmen wird diese Begierde beschrieben (Iren. *adv. Har.* I. 2. 2.) Iener wollte also met Gewalt an sich reissen und sich aneignen, was seiner Natur nach ihm nicht zukommen konnte, worauf er demnach auch kein recht hatte; nur ist dieser ganze Act und das worauf er geht, etwas rein Geistiges, die Sophia wollte nämlich, wie die Gnostiker es bezeichneten *κεκοινωνῆσθαι τῳ Πατρι, τω τελειῳ*, mit dem Vater, dem absolut Vollkommenen sich in Gemeinschaft setzen, und *καταλαβειν το μεγεθος αυτου*, seine Grösse

Alterum argumentum Baurius ducit ex eo quòd ab epistolæ illius auctore Christus dicitur εν ὁμοιωματι ανθρωπων γενομενος, et σχηματι ευρεθεις ὡς ανθρωπος. Nam hæc verba, si Baurio interpreti credas, significant, *Christum minimè verum fuisse hominem sed tantum specietenùs*, quæ sententia consentanea est *Docetismo* Gnosticorum [1].

Tertium denique *argumentum* inde arripit quòd auctor epistolæ ad Philippenses Christo subjicit angelos, homines et dæmones, quod quidem, si Baurio credas, desumptum sit ex placitis Gnosticorum; vocem autem illam καταχθονιοι respicere quoque Gnosticorum dogma de descensu ad inferos, probabiliter dici posse existimat [2].

---

sein absolutes Wesen geistig in sich aufnehmen, was demnach eine solche Identität mit Gott dem Absoluten est, wie sie in dem Ausdruck des Philipperbriefs το ειναι ισα Θεῳ liegt. Eben diess nun aber, dass dieser Act nach dem ursprünglich gnostischen Begriff desselben nur ein rein geistiger Act ist, macht es erst begreiflich, wie von einem solchen scheinbar sich selbst widersprechenden Streben nach dem ειναι ισα τῳ Θεῳ die Rede sein kann. Auf der eine Seite soll diese Identität mit Gott erst realisirt werden, auf der andern wird ihre Realität schon vorausgesetzt.... Dieses Sein und Nichtsein, dieses Haben und Nichthaben ist nur auf dem geistigen Gebiet möglich. Es ist der unterschied des an sich seienden von dem was nicht bloss an sich, sondern auch fur das Bewusstsein ist. Die gnostische Aeonen sind die Kategorien und Begriffe, in welchen das Absolute zum Object des subjectiven Bewusstseins wird, und sie sind so selbst die geistigen Subjecte, in welchen das Absolute sich subjectivirt und individualisirt, oder die subjective Seite, auf welcher das Absolute nicht bloss das Absolute an sich, sondern auch das absolute Selbstbewusstsein ist. Da sie aber nur in der Mehrheit sind, was das Absolute in der Einheit ist, so entsteht in der absteigende Reihe der Aeonen eine immer grössere Incongruenz zwischen dem Bewusstsein, dessen Object das Absolute ist, und dem Absolute selbst als dem Object des Bewusstseins. An sich kann das Bewusstsein dieser geistige Subjecte, der Aeonen, in welchen das Bewusstsein selbst als die subjective Seite jener objectiven gegenüber sich darstellt, nur auf das Absolute gehen, und doch können sie es, je tiefer sie stehen, mit ihrem Bewusstsein um so weniger umfassen und begreifen (καταλαβειν). So richtet sich nun auch jener Aeon mit der ganzen Energie seiner geistige Thätigkeit auf das Absolute, er will es erfassen, begreifen, ihm gleich, mit ihm Eins werden, aber er unternimmt dadurch nur etwas an sich Unmögliches, etwas, wodurch er die Schranke seiner geistige Natur überspringt, und gleichsam einen widernatürlichen Raub am Absoluten begeben will. Darum kann es der Natur der Sache nach nicht gelingen, er wird sich, indem er von diesem Triebe seiner Geistige Natur sich fortreissen lässt, nur der Negativität seines Wesens bewusst, was die Gnostiker dadurch darstellten dass sie ihn aus dem Pleroma in das κενωμα herabfallen liessen. »

(1) « War Christus, *inquit* Baurius, (ap. Lunem. pag. 21), als εν ὁμοιωματι ανθρωπων γενομενος, nur ὁμοιος, so war er kein wahrer und wirklicher Mensch, sondern schien nur ein solcher su sein. Nur Aehnlichkeit, Analogie, nicht aber Identität und Wesengleichheit kann der Ausdruck ὁμοιωμα bezeichnen (man vergleiche Röm. VI. 5); und die Stelle Rom. VIII. 3, wo vom Sohn gesagt ist, Gott habe ihn gesandt εν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας, kann hier nicht als Parallele gelten, da sie gerade das Gegentheil beweist, sofern das ὁμοιωμα, das bei den Sohn, seinem Begriff nach, bei der σαρξ ἁμαρτιας angenommen werden muss, Phil. II. 7 auf die Menschheit überhaupt ausgedehnt ist, was eben der Unterscheid der doketischen und orthodoxen Ansicht ist. An dieser Bedeutung von ὁμοιωμα ist in unserer Stelle um so weiniger zu zweifeln, da auch das unmittelbar dabei stehende σχηματι εὑρεθεις ὡς ανθρωπος nicht anders genommen werden kann. Will man auch ὡς und εὑρεθηναι nicht premiren, (obgleich in ὡς ebenso nur der Begriff einer Meinung, Ansicht oder einer Vergleichung liegt, wie εὑρεθηναι, nicht geradezu gleichbedeutend mit ειναι, nur auf die aussere Erscheinuug, auf die an einem Subject ausserlich sich zu erkennen gebende Beschaffenheit geht), so liegt doch in σχημα gar zu deutlich nur der Begriff eines *externus habitus* und zugleich der Begriff des Wandelbaren, Vorübergehenden, in kurzer Zeit Verschwindenden. »

(2) « Aecht gnostisch, *inquit* (apud Lünem. p. 23), lasst der Verfasser des Briefs endlich auch noch die Macht und Herrschaft Christi auf die drei Regionen,

Ad hæc objecta respondemus :

Primò, Baurium in his argumentis proferendis manifestò sibi contradixisse, ut observatum jam fuit a Lünemanno [1]. Nam quamquam alibi docet, epistolam ad Philippenses conscriptam fuisse quo tempore nondum exstabant nisi exordia quædam Gnosticismi, hìc tamen ad elaborata Valentini et Marcionis doctrinæ systemata confugit ut ibi aliquod dogma deprehendat [2] unde probet, dicta quædam epistolæ ad Philippenses cum Gnosticorum placitis convenire.

Respondemus *Secundò*, vel ex eo capite mancam esse Baurii argumentationem, quòd is pro certo ponit id quod falsum est. Nam epistolam ad Philippenses Paulo tribui posse auctori quum ideò neget, quòd in ea deprehendisse sibi videtur Gnosticismi vestigia, eo ipso pro certo sumit, γνωσιν illam Pauli aetate esse recentiorem. Atqui falsum hoc est; nam Gnosticismi exordia Apostolorum tempora attingere, in dubium revocari nequit. Ad quod probandum suffecerit [3] adduxisse testimonium S. Irenæi [4], qui Gnosticismi originem ad *Simonem Magum* refert, quod, ut alios omittamus, disertis verbis facit quoque B. Theodoretus [5].

Respondemus *Tertiò*, similitudinem illam qualemcumque, quam Baurius sibi videtur reperisse inter sententias nonnullas epistolæ ad Philippenses et quædam Gnosticorum placita, *Baurianâ* tantùm, id est, falsâ verborum Pauli niti interpretatione. Vide Commentarium nostrum ad hunc locum Epistolæ ad Philippenses.

Respondemus *Quartò*, in illo epistolæ loco nihil prorsus dici, quod idem non dicatur a Paulo in illis epistolis, in quibus Baurius nulla adhuc Gnosticismi vestigia deprehendit, quasque pro genuinis agnoscit. Vide Commentarium meum ad h. l. Denique, quod attinet ad *locutiones Gnosticas*, quæ inessent epistolæ ad Philippenses, Baurius sequentes notat : ἑαυτον εκενωσεν, — ειναι ισα Θεῳ, et vocem μορφη; cum his autem confert

---

die himmlische, irdische und unterirdische sich erstrecken, wobei uns die καταχθονιοι wohl noch besonders an die gnostische Idee der Hollenfahrt erinnern dürfen. » quæ leguntur in altera ad Timotheum Cap. II. 18. Sed hæc testimonia erant hic omittenda, quum Baurius illarum quoque epistolarum authentiam neget.

(1) Dissertat. supra laud. pag. 4.

(2) Scilicet quod de *Sophia Gnostica* narratur, id a *Valentino* demùm excogitatum fuit; de *descensu* verò *ad inferos* sermo non est nisi in unius Marcionis doctrinæ systemate.

(3) Apostolus ipse ejus rei testis est; neque enim aliò quam ad Gnosticismi exordia referri potest illa ψευδωνυμος γνωσις, de qua loquitur in 1ª ad Timotheum, Cap. VI. 20. Pariter non aliò spectant ea

(4) Irenæus, *Contra Hæres.* Lib. 2. in Præfat. : *Progenitoris*, inquit, *ipsorum* (scil. Gnosticorum) *doctrinam, Simonis Magi Samaritani, et omnium eorum, qui successerunt ei, manifestavimus. Diximus quoque multitudinem eorum, qui sunt ab eo Gnostici.*

(5) B. Theodoretus, in Ep. 1 ad Timoth. ad Cap. VI. 20 : Οἱ απο Σιμωνος, inquit, γνωστικους ἑαυτους προσηγορευσαν, h. e. *Qui a Simone orti sunt, Gnosticos seipsos appellarunt.*

Gnosticas has: *κενωμα*, — *ειναι ισον τω προβαλοντι*, et *μορφη*, *μορφουν*, *μορφωσις*. Verùm, ne pleno quidem jure locutiones hæ cum illis conferri possunt, quum non sint planè similes. Sed etiam si essent, nihil inde confici posset, quum adhibeantur de re plane dissimili.

§ 7. *Quo loco et quo tempore conscripta sit hæc epistola.*

Romæ conscriptam fuisse hanc epistolam, indeque *Philippos* missam, veteres tradidêre scriptores: S. Chrysostomus, ut colligitur ex argumento, quod præmisit suis Homiliis in epistolam ad Philippenses; Athanasius (*in Synopsi*): *προς Φιλιππησιους*, inquit, *αποστελλει απο Ῥωμης*, et Euthalius (apud Zacagni, in sua *Coll. vet. monument.*): *ταυτην*, inquit, *επιστελλει απο Ῥωμης*.

Idem docet hypographe, *προς Φιλιππησιους εγραφη απο Ῥωμης*, quam exhibent Cod. B. cum multis Minusculis, et versio Syriaca: ܐܬܟܬܒܬ ܡܢ ܪܗܘܡܝ i. e. *Scripta est a Roma.*

Confirmant hanc Veterum traditionem tum salutatio illa quæ a fine epistolæ (Cap. IV. 22) legitur; tum etiam instituta comparatio eorum quæ Cap. I. 12, sq. dicuntur, cum iis quæ Lucas refert (Act. Ap. Cap. XXXIII. 16, 30, 31) de Paulo Romæ captivo; tum denique injecta (Cap. I. 13) mentio *Prætorii.*

Et Antiquis hac in re uno animo consentiunt scriptores recentiores omnes, si duos excipias, Oederum, inquam, et Paulum *Heidelbergensem;* quorum hic *Cæsareæ*, ille vero *Corinthi* epistolam hanc conscriptam fuisse opinati sunt. Verùm, si alia argumenta dêessent, vel illud solum Oederum refelleret, quod Apostolus numquam *Corinthi* fuit in vinculis; atqui tamen significat, se, quum hanc epistolam scriberet, in vinculis fuisse; ergo non Corinthi tunc temporis degebat. *Heidelbergensem* vero satis jam redarguit salutatio illa (Cap. IV. 22) facta nomine eorum, qui erant *ex domo Cæsaris;* etenim Neronis *domesticos* prudenter nequeas existimare alibi commoratos fuisse quam ibi, ubi morabatur Nero, hoc est, *Romæ.*

Romæ ergo epistolam suam Apostolus exaravit, et quidem, ut opinor, quo tempore primùm in Urbe captivitatem subiit. Nam satis scire se ait (Cap. I. 25), fore ut liberetur ex captivitate, in qua erat quum epistolam ad Philippenses conscriberet; nec verò est cur credamus eum in hoc falsum fuisse. Imò quod de se veluti prædixerat Apostolus, illud etiam eventu fuisse comprobatum, certò colligitur, ut mihi quidem videtur, ex iis, quæ scripsit in 2 ad Timotheum, Cap. IV. 16. 17. Ex vinculis Romanis

prioribus datam fuisse hanc ad Philippenses epistolam, senserunt etiam S. Chrysostomus [1], et B. Theodoretus [2]; quibus jungere licebit Eusebium [3], quum hic doceat Paulum in Urbe non semel tantùm sed bis captivitatem subiisse; idque traditione se accepisse non obscure significat.

§ 8. *Utrum Apostolus plures unâ ad Philippenses dederit epistolas.*

Ante eam epistolam, quam interpretaturi sumus, jam alteram ad Philippenses ab Apostolo datam fuisse epistolam, satis constat, ut mihi quidem videtur, ex eo, quod dicit (Cap. III. 1): *Eadem vobis scribere*, etc. [4] Confirmant autem eam sententiam hæc Polycarpi [5] ad Philippenses verba de Paulo: ὃς και απων ὑμιν εγραψεν επιστολας, εις ἃς εαν εγκυπτητε, κ. τ. λ. h. e. *Qui et absens scripsit vobis* EPISTOLAS, *in quas si intueamini*, etc. Verum quidem est, Græcos nonnumquam dicere επιστολαι in numero Plurali de unâ epistolâ, sed hoc non officit sententiæ quam defendimus, quum Polycarpus in usu vocis επιστολη numerum Singularem a Plurali accurate distinguat. Nam in eadem illa ad Philippenses epistola (Cap. XIII) scribit: Τας επιστολας Ιγνατιου, τας πεμφθεισας ἡμιν ὑπ' αυτου και αλλας ὁσας ειχομεν παρ' ἡμιν, επεμψαμεν ὑμιν, καθως ενετειλασθε· αἵτινες ὑποτεταγμεναι εισι τῃ επιστολῃ ταυτῃ. h. e. « *Epistolas* Ignatii [6], quæ transmissæ sunt nobis ab eo, et alias quascumque apud nos habuimus, transmisimus vobis secundum quod mandastis; quæ sunt subjectæ *huic epistolæ.* »

Opponunt illud quod legitur undecimo capite illius epistolæ; « Ego autem nihil tale sensi in vobis vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus, qui estis *in principio epistolæ ejus;* de vobis enim gloriatur in omnibus ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognoverant, nos autem nondum noveramus [7]. » Sed obscuriores illæ voces, *in principio epistolæ ejus*, sumi nequeunt de ipsis iis litteris, quas Apostolus dedit ad Philippenses, ut patet ex contexta oratione hac: *de vobis* enim *gloriatur in omnibus ecclesiis;* nam in epistola Pauli ad Philippenses nihil tale legitur.

---

(1) In argumento quod præmisit Homiliis suis in Ep. ad Philipp.

(2) Interpret. Ep. ad Philipp. ad Cap. I. 26.

(3) H. E. Lib. II. Cap. 22. et Lib. 3. Cap. I.

(4) Confer quæ ad hunc locum notavimus.

(5) S. Polycarpi *Ep. ad Philippenses*, Cap. III.

(6) Designantur duæ Ignatii epistolæ: una ad Polycarpum; altera ad Polycarpi seu *Smyrnensem* Ecclesiam. Cotel.

(7) Polycarpi ad *Philippenses* Epistola hac parte græce non amplius superest.

Qui opinantur, verbum Dei scriptum esse unicum fontem divinæ Revelationis, audire nolunt, aliquid ex scriptis Apostolicis intercidisse!

§ 9. *Interpretes.*

Sanctos Patres et præcipuos Scriptores, tam antiquiores quam recentiores, qui in *omnes* Pauli Epistolas Commentarios ediderunt, alio opportuniore loco recensebimus.

Præter hos autem *singulatim* epistolam ad Philippenses interpretati sunt auctores sequentes:

Ex *Catholicis*: Victorinus Philosophus. (sæc. V) *In epistolam Pauli ad Philippenses, liber unicus.* Hæc Victorini interpretatio in lucem edita est a *Card.* Majo in sua *Scriptorum veterum nova collectione e Vaticanis codicibus edita.* Tom. III.

Sasbout (*Fr. Adami Sasbout... Opera omnia. Colon. Agripp.* 1575.)

Velasquez (*In epistolam B. Pauli ad Philippenses commentarii et adnotationes. Antverpiæ.* 1637.)

Ex *Acatholicis* verò: Coccejus (*S. Pauli epistola ad Philippenses cum commentario Joh. Cocceji, Amstelodami.* 1669.

Van Hengel (*Commentarius perpetuus in ep. Pauli ad Philippenses. Lugduni Batavorum et Amstelodami.* 1838.)

Matthies (*Erklärung des Briefes Pauli an die Philipper. Greifswald.* 1835.)

Hoeleman (*Commentarius in ep. D. Pauli ad Philippenses. Lipsiæ.* 1839.)

Rilliet (*Commentaire sur l'épître de l'apôtre Paul aux Philippiens. Genève.* 1841.)

INTERPRETATIO

EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM. *Epistolæ inscriptio* (1). *Apostolus Philippensibus beneprecatus* (2) *dicit, se continuas gratias agere Deo ob Philippensium in profitendâ et suo modo promovendâ Christianâ Religione constantiam* (3–5), *et certò se sperare, fore ut, Deo juvante, servent hanc constantiam ad finem usque vitæ* (6); *præcipere enim ejus erga Philippenses amorem, ut bonam hanc spem de iis habeat* (7–8). *Indicat porro quid Philippensibus a Deo petat; nam dixerat se unà cum continua illa gratiarum actione etiam preces pro iis adhibere Deo* (9–11). *Post illud exordium illis significat, vincula sua adeo non obfuisse promovendæ rei Evangelicæ, quod quidem Philippenses timebant, ut contrà non parum profuerint, idque cùm ob alias causas, tùm etiam quòd plures e fratribus inde facti fuissent audaciores ad Christum intrepide annunciandum* (12–16); *fuisse quidem etiam qui id facerent quia illi invidebant, sed Christum tamen vel ab his annunciari; quare se ait gaudere etiam de hoc;* (17–18) *quin imo se etiam porro de eo esse gavisurum, quum bonam spem habeat fore, ut illa res, adjuvante Deo ipsorum precibus pro se exorato, in suam vergat utilitatem, sive a* NERONE *occidendus sit, sive diutius vivere illi contingat* (19–20). *Vivere an mori eligere de-*

beat, ignorat; quia tamen ejus vita Philippensibus neccessaria est, satis scire se ait, permansurum se esse in vita (22-25); *seque eos revisurum innuit* (26), *undique monet vitam interea ut agant bene Christianam, imperterriti, et constanti animorum concordia inter se colligati* (27–30).

℣. 1. PAULUS, et TIMOTHEUS servi JESU CHRISTI, omnibus sanctis in CHRISTO JESU, qui sunt Philippis, cum episcopis, et diaconibus.

℣. 1. *Παῦλος καὶ Τιμόθεος, δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις, σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις.*

Paraphrasis: PAULUS et TIMOTHEUS JESU CHRISTI in prædicando Evangelio ministri, omnibus Christianis qui Philippis versantur, simulque sacerdotibus eorum et diaconis.

VARIANS LECTIO.

a) Pro *duabus* illis vocibus, συν επισκοποις, legitur una composita vox συνεπισκοποις (*coëpiscopis*) in Codd. B** D*** multisque Minusculis; atque ita legerunt etiam S. CHRYSOSTOMUS et THEOPHYLACTUS. Sed cum Vulgata nostra faciunt antiquissimæ versiones, Itala et Syriaca, quæ hic habet ܥܡ ܩܫܝܫܐ i. e. *cum presbyteris;* facit etiam THEODORETUS; tandem lectionem συν επισκοποις commendat etiam PAULI usus loquendi. Cf. I. Cor. I. 2.—2. Cor. I. 1. Provocari hic non potest ad auctoritatem Codicum uncialibus litteris conscriptorum, quum hi exarati sint nullo spatio inter se distinctis vocabulis. Videsis MONTFAUCON, *Palæogr. Gr.* Lib. I. Cap. IV. pag. 32.

Paulus et Timotheus). Apostolus in inscriptione epistolæ socium sibi jungit TIMOTHEUM, qui tunc temporis Romæ morabatur; jungit autem ideo, quòd TIMOTHEUS Philippensibus notus erat et carus (Ap. Act. XVI. 1 — 13), et brevi ad eos ablegandus (vide infra Cap. IL 19); non vero quod eorum communis sit hæc epistola, nam hoc sentire prohibent ea quæ leguntur infra Cap. II. 19. 20.

servi Jesu Christi). Græcè δȣλοι dicuntur, h. e. ministri in prædicando Evangelio JESU CHRISTO *servientes*, quo sensu MOSES et Prophetæ antiqui dicti sunt עַבְדֵי יְהוָֹה h. e. *Dei ministri.* Sed quæritur, cur hic contra morem suum PAULUS se non vocaverit *Apostolum.* Et sunt qui dicant, PAULUM, quum TIMOTHEUM sibi socium *in salutando* adjungere vellet, vel ideo uti debuisse titulo, qui utrique conveniret. Sed contra est, quod epistolam quam ad Colossenses dedit, ita inscripsit: PAULUS *apostolus* JESU CHRISTI, *et* TIMOTHEUS *frater;* eodem ergo modo inscribere quoque poterat epistolam ad Philippen-

ses. Quare malim dicere, nullam specialem causam reddi commodè posse, cur tam hic quam in utraque ad Thessalonicenses epistola Paulus *apostolicam* suam dignitatem non commemoraverit, nisi quod illustri illo *Apostoli* cognomento non arbitrariò uteretur, sed ibi solùm ubi existimaret aut necessarium esse aut utile, eorum ad quos scribebat animos revocare ad memoriam apostolicæ suæ auctoritatis. Itaque, rei opportunitate id non exigente, Paulus, ut qui modestissimus erat, *Apostoli* nomen silentio premens, *servum Dei* potius profiteri se voluerit. Atque hanc fere rationem reddiderunt Velasquez [1]), quem in hoc præiverant Chrysostomus [2]), et, qui hunc magnam partem exscripsit, Theophylactus [3]).

omnibus sanctis in Christo Jesu). Christianos in S. Scripturis Novi Testamenti passim vocari *sanctos* (ἁγιους), id quidem notius est, quam ut exemplis probari necesse sit. Sed quæritur, quænam sit ejus denominationis ratio.

S. Petrus (I. Ep. II. 9) Christianos vocat *genus electum*, *regale sacerdotium, gentem sanctam*, *populum acquisitionis;* hæc quatuor epitheta in Veteris Testamenti libris attributa leguntur populo Israëlitico, quem Deus ad sui cultum præ cunctis ceteris gentibus elegerat, feceratque sibi veluti peculiarem populum; quumque *omnia in figura illis contingerent* (I Cor. X.), ea quæ his epithetis significantur, sensu longe sublimiori conveniunt populo Christiano. Ergò sunt interpretes qui velint denominationem hanc, qua Israël typicus *gens sancta* vocabatur, ad Israëlem anti-typicum, ad populum, inquam, Christianum, in scriptis Apostolicis transferri, atque eâ ratione Christianos ibi passim *sanctos* vocari. Verùm conjecturalis, ut mihi videtur, est ea interpretatio; certe verba Petri (I Ep. II. 9). rem non conficiunt.

In 1 ad Corinth. I. 2 Christiani describuntur ut *sanctificati in Christo Jesu*, *vocati sancti* (ἡγιασμένοι εν χριστῳ Ιησου, κλητοι ἁγιοι), ubi κλητοι ἁγιοι (non scribitur κεκλησμένοι) intelliguntur tales, qui non suo aliquo merito, sed per gratiam *vocationis* divinæ ad *sanctitatem* pervenerunt, hoc est, ad eam interioris hominis renovationem, quam præstat *lavacrum regenerationis* (cf. I Cor. VI. 11). Paulo, uti patet, iidem sunt ἡγιασμενοι εν Χριστῳ Ιησου qui κλητοι ἁγιοι, et alterum illud alterius est veluti interpretatio. Hinc vero ego quidem maluerim petere causam illius denominationis, qua Christiani passim vocantur *sancti*. Itaque putem Christianos dici *sanctos*, quippe qui per baptismum *sanctificati*, id est, sancti facti sunt. In eum sensum vocem *sancti* jam interpretatus est Victorinus [4]). Nam ad verba Cap. IV. 22. : *Salutant vos omnes sancti*, scribit : *Quos utique acceptâ fide* Paulus *sanctificavit*. Sic et Theodoretus : ἁγιους, inquit, τους του βαπτισματος αξιωθεντας ωνομασεν. *i. e. Sanctos vocat eos, qui baptismo dignati fuerant.*

---

(1) Commentar. in Ep. ad Philipp. ad. h. I.

(2) Hom. 1 in Ep. ad Philipp.

(3) In Comm. ad h. l.

(4) In *Card.* Maii *collect. nov.* Tom. 3.

Quod autem dicitur *sanctificati* IN *Christo*, *sancti* IN *Christo*, non est hoc idem quod PER Christum; nam si hoc sibi voluisset Apostolus, quidni scripsisset δια Χριστȣ Ιησου, ut centies fecit? Ergo quod dicitur IN (εν) *Christo*, referendum hoc est ad mysticam illam baptizatorum cum Christo unionem, quam frequenter in suis epistolis docet Apostolus. Cf. Rom. XII. 5. 1. 30., 2 Cor. V. 17., Ep. ad Ephes., passim, et Gal. III. 27, 28, quo posteriori loco hæc habet: *Quicumque enim in Christo* (gr. εις Χριστον) *baptizati estis, Christum induistis. . . . . . Omnes vos unum* (gr. εἷς) *estis in Christo Jesu* [1].

De mystica illa unione pluribus dicturi sumus in interpretatione epistolæ ad Ephesios, quæ ejus quæstionis veluti propria sedes est. Interim legesis S. THOMÆ *Summ.* 3 *p.* Q. 8. *Art.* 1. 2. 3., et PETAVIUM de *Theol. dogmat.*, *de Incarnat. Lib II. Cap.* 7. 8. *et* 9, *et Lib.* XII. *Cap.* 17.

cum episcopis et diaconibus). Qui hic dicuntur Episcopi, illi, meâ quidem sententiâ, secundi ordinis sacerdotes erant; hi nempe Apostolorum ætate duplici nomine, tam *episcopi* quam *presbyteri* vocabantur. Nam PAULUS pro iisdem habet quos vocat presbyteros, et quos episcopos (Cf. *Act. Ap.* Cap. XX. 17-29; et *ep. ad Tit.* Cap. 1. collato ℣. 5 cum ℣. 7); et in prima *ad Timotheum*, hunc docet quales viros creare debeat *episcopos* et *diaconos*; presbyteri autem qui crearentur quales viri esse debeant, ne uno quidem verbo monet; et tamen eidem TIMOTHEO in eâdem illâ epistolâ ita præcipit (Cap. V. 17. 19): *Qui bene præsunt presbyteri,* inquit, *duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.... Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Aetate Apostolorum episcopali munere, h. e. summi sacerdotii officio, in ecclesiis recens excitatis fungebantur partim ipsi Apostoli [2], partim illi, in quos summam illam sacerdotii dignitatem, gradum et officium transtulissent, ut in TITUM et TIMOTHEUM fecit S. PAULUS; tales autem ævo Apostolorum etiam ipsi vocati fuêre *Apostoli*; nomen *Apostoli*, inquam, tunc temporis tribuebatur non tantum iis *qui proxime ab ipso Domino* vocati fuerant ad

(1) Ad quæ verba de mystica illa unione hæc notat WINDISCHMANN: « *Diese Vereinigung bewirkt die Taufe, nicht blosz* in Christo, *d. h. in seinem Namen, und kraft seines Verdienstes, sondern, wie der Griechische Text sehr prägnant ausdrückt,* in Christum (*Rom. VI.* 3), *indem durch sie ein Lostrennen des Menschen aus dem sündigen Geschlechte des ersten Adams und eine Verpflanzung in das heilige des zweiten* (*Rom. XI.* 24), *ein Aufgenommenwerden in seinen mystischen Leib, ein Anziehen seiner Gerechtigkeit und Heiligkeit* (*Ephes. VI.* 24) *vollbracht wird. . . . Nicht eine blosz moralische Verbindung durch Gleichheit der Gesinnung, auch nicht eine abstracte begriffliche Einheit (in beiderlei Sinn könnte* ", *was F. G. Vulg. Ital. geben, miszverstanden werden*), *sondern eine* Person (εἷς) *ein Organismus sind die Erlösten in Christo. Nach des Apostels Lehre gibt es keine realere, innigere, und höhere Einheit, die* Unio hypostatica *und die Trinität ausgenommen, als die des mystischen Leibes Christi; und nichts verflacht mehr die Tiefe des Apostels, als wenn man solche Stellen zu dem matten Begriff einer moralischen Association verkümmert.* Erklärung des Briefes an die Galater. *Mainz.* 1843, *pag.* 90, 91.

(2) Neque enim est cur putemus, in singulis ecclesiis recens plantatis statim ab initio, et episcopum, et secundi ordinis sacerdotes, et diaconos fuisse institutos, aut institui potuisse. Cf. EPIPHAN. *Adv. Hær.* Lib. 3.

Apostolatum, verùm etiam illis, qui *proxime ab homine* instituti, episcopali charactere ac officio eminerent [1].

Conficitur ex dictis, nihil inferri posse contra dogma Catholicum de Episcoporum præstantia supra Presbyteros ex eo, quod hic in numero Plurali [2] dicitur *episcopi*. Dictum sit hoc contra MEYERUM, qui ad h. l. scribit: *der Plural widerstrebe sehr der katholischen Lehre vom Episcopat* [3]. Idem Diaconorum officium ita describit ut sit: *die Armen-Kranken- und Fremdenpflege*, et præterea nihil; etsi sexcenties luculenter probatum sit, diaconos non *mensarum* tantum ministerium accepisse, sed tamquam veros Ecclesiæ ministros publico cultui divino fuisse addictos. Videsis LIEBERMANNI *Demonstr. Cathol. Pars. I. Cap. I. Art. IV.* § 1. et PERRONII *Tractat. de Ordine, Cap. II. Prop. 2.*

Dativus *πασι—ουσιν* est Dativus, ut vocant, *directionis*; itaque non est elliptica oratio, ut supplendum sit *χαιρειν* vel *ευ πραττειν*, nam pro hâc salutandi formâ est sequens (℣. 3) Apostolica apprecatio: *χαρις ὑμιν και ειρηνη*, quæ tamen, ut ex illo *ὑμιν* patet, jungenda non est, quod attinet ad vocabulorum Syntaxin, cum præcedente Dativo *πασι—ουσιν*.

---

(1) Assertionis hujus argumenta exposuimus in Commentario nostro in Actus Apostolorum ad Cap. XX. 28, et in Ep. ad Rom. ad Cap. I. 1.

(2) Monumentum antiquissimum, ex quo probatur doctrina Catholica de Hierarchia ecclesiastica, epistolæ sunt S. IGNATII genuinæ. Nuperrime autem fuit, qui contenderet ex epistolis Ignatii septem illis, quæ communi consensu pro genuinis habentur, tantum hoc genuinum esse, quod in Syriaca earum versione legitur. Atqui etiamsi hoc verum esset, tamen vel sic non periisset nobis IGNATII de illo dogmate testimonium. Nam in Syriaca versione epistolæ S. IGNATII ad Polycarpum leguntur hæc:

ܐܢܐ ܐܗܘܐ ܚܠܦ ܢܦܫܬܗܘܢ ܕܐܝܠܝܢ
ܡܫܬܥܒܕܝܢ ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܩܫܝܫܐ
ܘܡܫܡܫܢܐ ܀

Quæ respondent græcis his: Αντιψυχον εγω των ὑποτασσομενων τω επισκοπω, πρεσβυτεροις, διακονοις. h. e. *Unanimis ego cum subjectis Episcopo, Presbyteris, Diaconis.* » Servatum est Syriace ex ejusdem epistola ad Magnesios etiam fragmentum hoc:

ܚܦܛܘ ܕܒܫܝܢܐ ܬܥܒܕܘܢ . ܟܕ ܩܕܡ
ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܒܕܘܟܬ ܐܠܗܐ . ܘܩܫܝܫܐ ܒܕܘܟܬ
ܟܢܘܫܐ ܕܫܠܝܚܐ . ܘܗܢܘܢ ܕܡܫܡܫܢܝܢ
ܬܫܡܫܬܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܀

Quæ respondent Græcis his: Σπουδαζετε παντα πρασσειν προκαθημενου του επισκοπου εις τοπον Θεου, και των πρεσβυτερων εις τοπον συνεδριου των αποστολων, και των διακονων, των εμοι γλυκυτατων, πεπιστευμενων διακονιαν Ιησου Χριστου. h. e. *Studete omnia operari, præsidente Episcopo in loco Dei, Presbyteris in loco consessionis Apostolorum, et diaconis mihi dulcissimis habentibus creditam ministrationem Jesu Christi.* » Observo Syriace non legi verba και των διακονων των εμοι γλυκυτατων. Quæ citavimus Ignatiana Syriace, ea leguntur in opere cui titulus: *The antient Syriac version of the epistles of Saint Ignatius to Saint Polycarp, the Ephesians, ant the Romans; together with extracts from his epistles, collected from the writings of Severus of Antioch, Timotheus of Alexandria, and others....* by William Cureton, M. A. London. 1845, pag. 7 et 22.

(3) *Brief an die Philipper.* Göttingen, 1847. pag. 10.

ỳ. 2. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

ỳ. 2. *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Paraphrasis. Optamus vobis favorem et omne bonum salutare a Deo Patre nostro, et a Domino Jesu Christo.

Gratia vobis et pax) Supple *εστω* : neque enim est cur suppleatur *πληθυνθειη*, quamquam S. Petrus (*I Petr. I.* 2) ita scripsit, et Polycarpus in sua ad Philippenses epistola dixit: *Πολυκαρπος και οἱ συν αυτῳ πρεσβυτεροι τῃ εκκλησιᾳ του Θεῦ τῃ παροικουσῃ Φιλιπποις· ελεος ὑμιν και ειρηνη παρα Θεου παντοκρατορος, και Κυριου Ιησου Χριστου του σωτηρος ἡμων πληθυνθειη.* h. e. Polycarpus *et qui cum ipso sunt presbyteri, ecclesiæ Dei quæ est Philippis. Misericordia vobis et pax a Deo omnipotente et Domino Jesu Christo, salvatore nostro, multiplicetur.* Voces *χαρις* et *ειρηνη* inter se hic cohærent veluti causa et effectus; ad eum, inquam, modum, quo in dono aliquo *causa* doni est amor donantis, ipsum autem donum illius causæ veluti *effectus*. Itaque *χαρις*, *gratia*, hic, ut et Luc. I. 30. II. 52. Act. Ap. VII. 46. Ephes. I. 7 et II. 17., est gratuitus (Rom. XI. 6) Dei favor, benevolentia, amor erga nos, a quo amore veluti *causa*, *pax* illa *efficitur*. *Pacem* autem illam intelligimus omne bonum, quod quidem ad salutem animæ conducat. Nimirum vox *ειρηνη* hic explicanda esse videtur ex formula salutandi Hebræorum hac : שָׁלוֹם לְךָ, לָכֶם h. e. *pax tibi, vobis!* qua bona quævis alteri apprecabantur. Cf. Luc. XXIV. 36. Joh. XX. 26. Qui *pacem* alteri apprecabatur, Hebræis dicebatur *dare pacem alteri* [1]).

Hinc quoque explicandum videtur, id quod Apostolis suis dicebat Salvator noster (Joh. XIV. 27) : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat ego do vobis* [2]). Pariter nec Apostolus mundano sensu Philippensibus suis *pacem* apprecatur, sed Christiano, eo, inquam, quo nempe vere bonum censetur nihil, quod animæ saluti officiat.

a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo) Hoc est, ut et Interpres noster in sua versione rectissime id expressit : *a Deo Patre nostro* ÆQUE AC *a Domino Jesu Christo*. Nam Genitivus *κυριου* non referendus est ad Pronomen *ἡμων*, sed ad Præpositionem *απο*. Quod dicimus, id probatur ex simili formula, quæ legitur in Epp. ad Galat. I. 3. 2 ad Tim. I. 2., et ad Tit. I. 4. Quum ergo *divina*, quæ hic intelliguntur dona, ab Apostolo tribuantur velut largitori, tam *Deo Patri nostro* quam *Domino Jesu Christo*, simul ibi docet Christi divinitatem ejusque cum Patre æqualitatem [3]).

---

(1) Constat hoc ex *Aboth.* Cap. 4 (apud Buxtorfium, in Lexico maj. a. v. שלמא), ubi hæc leguntur: לא יתן שלום לרבו או יחזיר לו שלום כדרך שנותנים לריעים מחזירים זה לזה h. e. « Neque dabit pacem præceptori suo (i. e. *salutabit eum*), aut reddet ei pacem (h. e. *gratias ei salutanti aget*) sicut salutantur amici, et sibi invicem respondent. »

(2) Legatur ad h. l. excellens interpres Maldonatus.

(3) Hoc passim ad ea verba Apostoli notarunt Patres Græci. Sic Theodoret. ad *Rom.* Cap. I. 7, ubi eadem verba : *gratia vobis*, etc. leguntur, hæc scribit: Δι' ὧν ἡμας εδιδαξεν αντικρυς Πατρος και Υἱου την ισοτητα. h. e. « *Per quæ nos aperte docuit Patris*

Rectissimè Estius ad hunc locum : « Nomen *Patris*, inquit, hic respicit filios adoptivos, sicut in oratione Dominica, quia additur *nostro*. Et quamvis hac consideratione sit tribus Personis divinis commune, tamen Personæ Patris appropriatum est. Nam hic sermo quo dicitur *a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo*, Personas distinguit. Objicit Arianus : Si Christus æqualiter esset Deus cum Patre, non distingueret Apostolus sermonem suum, ut Patrem quidem *Deum* vocaret, Christum autem *Dominum*. Cui respondeo : non magis esse consequens ex apostolico sermone, Christum non esse *Deum* quam Patrem non esse *Dominum*; sicut enim alterum de Filio tacet, ita et alterum de Patre. Quod si de Patre tacetur alterum sine ejus præjudicio, cur non et alterum de Filio ? Tantum reddenda ratio est cur Domini vocabulum proprie Christo tribuat. Ea nimirum est, quia Christus in assumpta carne pretio sui sanguinis nos e servitute diaboli redemit, sibique vindicavit in populum peculiarem, cujus proinde ipse, quatenus homo, *Dominus* pleno jure effectus sit. Hinc passim in Apostolicis litteris honoris causâ *Dominus* appellatur. Est igitur in verbis Apostoli insinuatio quædam utriusque naturæ in Christo : *divinæ* quidem, cum dicit *a Christo* sicut dictum erat *a Patre ; humanæ* autem in vocabulo *Domino*, juxta rationem assignatam. Vide Estium ad h. l. et ad ℣. 7 Cap. 1. Ep. ad Romanos.

℣. 3—5. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, [4] semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, [5] super communicatione vestra in

℣. 3—5. *Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν, [4] πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος, [5] ἐπὶ τῇ*

Paraphrasis : Quotiescumque vestri pie recordor, (semper autem et in unaquaque precatione mea cum gaudio pro omnibus vobis preces Deo adhibeo), toties gratias ago Deo meo ob id, quod suo quisque modo promovendæ rei Evangelicæ no-

et Filii æqualitatem. » Et S. Athanasius ad eadem verba (Orat. III contra Arian. 13, in edit. Benedict. Paris. 1698, tom. I. pag. 1. pag. 562) notat : ούτω γαρ και ασφαλης ην ἡ ευλογια δια το αδιαιρετον του ὑιου προς τον πατερα, και ὁτι μια και ἡ αυτη εστιν ἡ διδομενη χαρις. Καν γαρ ὁ πατηρ δωη, δια του ὑιου εστι το διδομενον· καν ὁ ὑιος λεγηται χαριζεσθαι, ὁ πατηρ εστιν ὁ δια του ὑιου και εν τω ὑιω παρεχων..... Τουτο δε και επι φωτος και απαυγασματος αν τις ιδοι· και γαρ ὅπερ φοτιζει το φως, τουτο το απαυγασμα καταυγαζει· ὁπερ δε καταυγαζει το απαυγασμα, εκ του φωτος εστιν ὁ φωτισμος h. e. *Ita enim firma erat benedictio, cum ob individuam Filii et Patris naturam, tum quia una et eadem erat data gratia. Nam licet dederit Pater, quod tamen datur, per Filium datur. Similiter licet filius dare dicatur, Pater est, qui per Filium et in Filio dat... Quin etiam idem istud in luce et splendore animadvertere est. Nam quod lux illuminat, idem quoque splendor illuminat, et vicissim quod splendor illuminat, hoc lux quoque illuminat.* Idem paulo ante (ibid. 11) dixerat : Διδοντος του πατρος χαριν και ειρηνην, αυτην και ὁ ὑιος διδωσιν, ὡς ὁ Παυλος επισημαινεται δια πασης επιστολης γραφων : χαρις ὑμιν και ειρηνη απο Θεου πατρος ἡμων, και κυριου I. X. Μια γαρ και ἡ αυτη χαρις εστι παρα πατρος εν ὑιω· ὡς εστιν ἓν το φως του ἡλιου και του απαυγασματος, και το φωτιζειν του ἡλιου δια του απαυγασματος γινεται. h. e. « *Cum Pater dat gratiam et pacem, eamdem pariter dat Filius, uti* Paulus *in omnibus suis epistolis significat, dum ita scribit :* Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo. *Una enim eademque est gratia, quæ a Patre in Filio datur; quemadmodum una est lux solis et splendoris, et sol non nisi per suum splendorem illuminat.* » Cf. etiam Cyrill. Alex. in *Thes. XII.* 1.

Evangelio Christi a prima die usque nunc.	κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον ἀπὸ πρώτης ἡμέρας ἄχρι τοῦ νῦν·	biscum coöperati estis, inde ab eo tempore, quo primùm Christo nomen dedistis, usque ad præsentem diem.

℣. 3. *Gratias ago Deo meo).* Solenne Paulo est epistolarum suarum exordium sumere a gratiarum actione. Vid. Rom. 1. 8. — I Cor. 1. 4 — II Cor. 1 3. Coloss. 1. 3. — I Thess. 1. 2. — II Thess. 1. 3. II. Tim. 1. 3. Philem. 4. — Materies ejus gratiarum actionis ℣. 5 continetur. Quod dicit *meo*, eo animum prodit tenere amantis.

in omni memoria vestri). Hoc est, interprete S. Chrysostomo (ὁσακις ὑμων αναμνησθῶ), *quotiescumque* (piam) *vestri memoriam facio*). Atque ita sine ulla dubitatione interpretandum foret, si, dempto Articulo, Apostolus scripsisset εν παση μνειᾳ ὑμων. Nam πασα μνεια est *unaquæque recordatio*, sed ex Grammaticæ legibus πασα ἡ μνεια reddendum sit *cuncta recordatio* [1]. Nolim tamen hoc loco urgere absentiam Articuli, et Chrysostomo acquiesco. Μνεια est hic *pia recordatio* (*godvruchtig aandenken*) ut Rom. 1. 9. Ephes. 1. 16. — I Thess. 1. 2; ὑμων (*vestri*) est Genitivus *objecti*. Præpositio επι cum Dativo ponitur hic de rebus quæ tempore conjunctæ sunt ita, ut dum una fit etiam altera fiat; confer Nostratium *by*.

℣. 4. *semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens).* Hæc non interponuntur ὡς εν παροδῳ, adeoque pro Parenthesi non sunt habenda; neque enim *interrumpitur* hic grammatica constructio, quum ποιουμενος ab ευχαριστῶ pendeat. Exponit autem hisce verbis Apostolus *quando* et *quam* frequentur pie recordetur Philippensium. Illud παντοτε explicatur per sequens εν πασῃ δεησει μου. Voces *pro omnibus vobis* jungendæ sunt cum sequentibus *cum gaudio deprecationem faciens.* Verba ista, εν πασῃ δεησει μου, quia abest Articulus, reddenda sunt: *in unaquaque precatione mea* (vide supra ad ℣. 3). In την δεησιν Articulus demonstrat *illas* Pauli preces, quas in unaquaque precatione sua Deo adhibere *solebat* pro Philippensibus. Παντοτε, *semper:* pro eo purior Græcitas dicit ἑκαστοτε, quod non nisi 2 Petri I. 15 in N. T. occurrit. Dicendo *cum gaudio*, Apostolus indicat quo animi sensu afficiatur, quando Deum precatur pro Philippensibus.

℣. 5. *super communicatione vestra in Evangelio Christi)* Hisce verbis exponit jam Apostolus *quam ob rem* Deo gratias agat (℣. 3.). Præpositio επι Dativo juncta, dicitur etiam de *causa*, idemque tum valet ac *propter*. Scribitur κοινωνια εις το ευαγγελιον, non vero κοινωνια του ευαγγελιου; adeoque non est interpretandum, gratias

---

(1) Cf. Gersdorf, *Beiträge zur Sprach-Characteristik der Schriftsteller des Neuen Testaments.* Leipzig. 1816, 1 Th. pag. 374, 380-81. Item Winer, *Grammatik des neutestamentliches Sprachidioms.* Leipzig. 1844, ed. 5. § 17. n. 10. Alibi (§ 52, c) tamen επι πασῃ τῃ μνειᾳ reddit *bei jeder Erwähnung.*

ago *quod facti estis participes Evangelii*, i. e. *quod facti estis Christiani;* cui interpretationi obstat etiam id quod sequitur, *a prima die usque nunc*, uti patet; verùm intelligenda est Philippensium talis quædam *κοινωνια*, qua suo quisque modo coöperati fuerant et coöperabantur ad promovendam (*εις*) rem Evangelicam. Cf. ℣. 7 et 27. Quænam verò Philippensium opera Apostolus hic respexerit, id quidem accurate definiri nequit; certe eam, quam dicit Philippensium *κοινωνιαν εις το ευαγγελιον*, agnoverit etiam in hoc quod pro causa Evangelii passi fuerant, ut infrà (℣. 29) de illis testatur. Respexerit, opinor, etiam pecuniaria illa subsidia, quæ jam antea (vide Cap. IV. 16), et iterum recentissime per Epaphroditum (ibid. ℣. 18) Philippenses ad eum miserant.

a prima die usque nunc). Jungenda sunt hæc cum voce *κοινωνιᾳ*, ita ut intelligas hisce verbis describi *initium* et *durationem* istius *κοινωνιας*: inceperat hæc Philippensium *κοινωνια quo tempore Christo nomen dederant*, in eaque perseveraverant *in præsentem usque diem.* Huic vero interpretationi non obstat quod ante *απο πρωτης* non legitur Articulus *τῇ*, quo hæc temporis notatio cum voce *κοινωνιᾳ* jungatur; nam etsi grammatica *ακριβεια* Articulum hic postulasset, Apostolum tamen novimus in similibus phrasibus, nunc ponere nunc omittere Articulum; exemplo sit illud epistolæ ad Coloss. I. 4: *ακουσαντες την πιστιν ὑμων εν Χριστῳ Ιησου, και την αγαπην την εις παντας τους ἁγιους*, ubi in posteriori sententiæ parte Articulus ponitur, omittitur vero in priori.

℣. 6. confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.	℣. 6. πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, ὅτι ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν ἔργον ἀγαθὸν, ἐπιτελέσει ἄχρις ἡμέρας Χριστοῦ Ἰησοῦ.	*Paraphrasis:* atque ipsum hoc confido, fore ut qui opus præclarum in vobis incœpit Deus, illud et efficere pergat usque ad extremum vestri uniuscujusque vitæ diem.

℣. 6. *Confidens hoc ipsum.)* Scilicet id quod statim sequitur: Deum, *qui cœpit in vobis opus bonum, illud etiam perfecturum esse usque in diem Christi Jesu.* — Participium *πεποιθως* precedenti *ποιουμενος* sine copula jungitur; pendet autem utrumque hoc Participium a verbo Finito (℣. 3) *ευχαριστῶ*. Asyndetica istiusmodi Participiorum conjunctio cum alibi, tum maxime in libris N. F. historicis observatur: eamque apud profanos quoque scriptores sat sæpe videre est[1]. Est autem *πεποιθως* Participium Perfecti Medii *πεποιθα* quod a *πειθω*. Et dupliciter quidem Apostolus verbum illud adhibet; nam aliquando eo utitur ad eam certitudinem significandam quæ fallere nequeat, ut 2 Tim. I. 12, et Rom. XIV. 14; aliquando vero idem verbum illi inservit ad *moralem* tantum, ut vocant, certitudinem indicandam, ut 2 Tim. I. 5, Hebr. VI. 9. Posteriori hoc sensu *πεποιθως* in præsenti loco sumendum est; nam quum alibi (I Cor. X. 12) moneat Apostolus, *ut videat*

(1) Vide Kühner, *Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache.* Hannover 1834. § 676.

ne cadat, *qui stare se existimet*, profecto non potuit hic Philippenses *securos* reddere de ipsorum perseverantia. Itaque scitè Interpres noster πεποιθως reddidit *confidens*. «Apostolus, quod Cornelius a lapide hic notat, dicere potuisset: confido fore, ut bonum opus, quod cœpistis, prosequamini et perficiatis; sed ut eos doceat modestiam, maluit dicere: confido fore, ut *Deus* illud perficiat; quia cum ad perseverantiam utrumque requiratur, scilicet, et gratia Dei, et coöperatio ac constantia liberi arbitrii, primas in ea tenet gratia Dei. Unde uti alibi, ita quoque hic, gratiæ Dei perseverantiam Apostolus tribuit.... Est ergo Metalepsis: *confido fore ut Deus perficiat*, hoc est, confido fore *ut vos per Dei gratiam* perficiatis opus bonum quod cœpistis.»

quia qui cœpit in vobis opus bonum). Ὁτι, Vulgata: *quia*, h. e. *quod*. Ὁ εναρξαμενος, Vulg. *qui cœpit*, h. e. *Deus*, qui hucusque gratiæ suæ auxilio vobis adfuit. *Opus bonum* græce est εργον αγαθον, sine Articulo: *een goed werk*; intelligitur autem illa Philippensium (℣. 5) κοινωνια εις το ευαγγελιον, quam *Deus* cœperat *in ipsis*, nam ait Paulus: *in vobis* (εν ὑμιν), h. e. non *inter vos*, sed *in animis vestris*, scilicet *interioris* suæ gratiæ auxilio. Dicendo *cœpit*, Apostolus non tantùm primam, ut ita dicam, boni illius operis *incœptionem* intelligit, sed et ejusdem *continuationem* ad præsens usque tempus.

perficiet usque in diem Christi Jesu). Ad vocem *perficiet* supple *illud*; et *perficere*, quum addatur *usque in diem Christi Jesu*, intellige *rem incœptam perseveranter persequi* usque ad certum quoddam temporis punctum; quod quidem hic est *dies Christi Jesu*, h. e. dies adventûs ejus ad judicandum; quem diem quum Apostolus in Ep. ad Rom. (XI. 25. 26) innuat adhuc sat esse remotum, moneatque Thessalonicenses (II Thess. II. 2), ut ne terreantur *quasi instet Dies Domini*, profectò falluntur qui dicant Paulum in ea fuisse sententia, ut crederet fore ut *dies ille* in suam incideret ætatem. Itaque dicendum videtur in dictione ista, *dies Christi Jesu*, et similibus, agnoscendum esse modum quemdam loquendi ad indicandum tempus, quo unusquisque supremum diem suum est obiturus.

℣. 7. sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.

℣. 7. καθώς ἐστι δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς, ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου, καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου, συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος [a] πάντας ὑμᾶς ὄντας.

Paraphrasis: sicuti æquum est, me pro vobis omnibus eo animo affectum esse, quoniam impense vos amo, ut qui omnes socii estis mei in gaudio illo *vel* gratia illa, quæ est in patiendo ob Christi causam, et consequenter in re Christiana defendenda ac stabilienda.

VARIANS LECTIO.

a) Pro *gaudii*, quod exhibent Versiones, Itala et Vulgata, AMBROSIASTER, PELAGIUS, PRIMASIUS, et SEDULIUS, in Græcis Codd., exceptis DG, constanter legitur χαριτος h. e. *gratiæ*: atque ita pariter legit Syrus, qui vertit: *quia socii mei estis* ܒܛܝܒܘܬܐ h. e. *in gratia*. Itaque χαριτος germana videtur esse lectio. Interpres noster pro χαριτος legerit χαρας.

Dicit hìc Apostolus, *consentaneum* esse ut bonam hanc (℣. 6) de Philippensibus fiduciam habeat, quum impense eos amet. Causam ejus amoris exponunt verba *εν τε τοις — οντας*, quæ verba, quod ad Syntaxin attinet, habenda sunt tamquam *Appositio* ad præcedens *ὑμας*.

℣. 7. *sicut est mihi justum).* Particula *καθως* non est hic reddenda *siquidem*, *quoniam*, *quippe*, quod vult WAHLIUS [1], sed *sicuti*; confer Nostratium: *gelyk het dan ook*, quando narrant a se factum quid esse, quod officium vel æquitas aut decorum postulabat ut fieret; nam *δικαιον* hic dicitur id quod *æquum*, *quod rationi*, *quod naturæ rei consentaneum* est.

hoc sentire pro omnibus vobis). Intelligit Apostolus *fiduciam* sive *bonam illam spem*, quam ℣. 6 expresserat. *Sentire* (*φρονειν*) hoc loco dicitur, quemadmodum et infra Cap. II. 5, non de *actu intellectûs*, sed de *affectu animi*; et Præpositioni *υπερ* (*pro*) respondet hic Nostratium *voor*, quo sensu adhibetur ad significandum fieri aliquid in gratiam aut commodum alicujus, ut Act. VIII. 24.

eo quod habeam vos in corde). *Causa* hìc exponitur *cur* sit consentaneum, ut Apostolus eo animo ergo Philippenses sit affectus; est autem causa hæc amor ejus in ipsos; quem quidem amorem sibi promeruerant, quòd erant ejus *socii effecti et in vinculis ejus*, *et in defensione et confirmatione Evangelii.* In Græco Pronomen *vos* ponitur a fine hujus sententiæ, hoc modo: *quoniam ego in corde habeo vos*; quod ideo factum est, quia quæ sequuntur, *εν τε τοις δεσμοις — οντας*, Appositio sunt ad illud *vos*; ut adeo quæ hic leguntur hoc faciliori modo possent construi: *δια το εχειν με εν τῃ καρδιᾳ ὑμας, παντας οντας εν τε τοις δεσμοις μου, και εν τῃ απολογιᾳ και βεβαιωσει του ευαγγελιου, συγκοινωνους μου της χαριτος*. In phrasi Apostoli bis scriptum est *ὑμας*, sed posterius redundat. Repetiverit illud, quia prius *ὑμας* remotius erat a verbis *παντας οντας*. Phrasis *δια το εχειν με εν τῃ καρδιᾳ ὑμας* reddenda non est: *quia vos me impense amatis*, sed *quia ego impense vos amo*; hanc versionem postulat contexta oratio (℣. 8) ista: *testis enim mihi est*

(1) In Clavi Nov. Test. ad h. v.

Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. Si Apostolus dicere voluisset *quia vos me impense amatis*, non scripsisset *δια το εχειν με εν τῃ καρδιᾳ ὑμας*, sed, aliâ usus vocabulorum Syntaxi, dixisset *δια το εχειν ὑμας εν τῇ καρδιᾳ με.*

et in vinculis meis). Impenso amore prosequebatur Apostolus Philippenses suos, quippe qui *erant omnes socii gaudii* (*χαρας*) sive *gratiæ* (*χαριτος*) ipsius. Vocat autem Paulus *gaudium* suum sive *gratiam* suam ipsa illa vincula in quæ hoc tempore Romæ erat conjectus. Jam vero Philippensibus *donatum erat*, ut infra (ỹ. 29) docet Apostolus, *non solum ut in Christum crederent, sed ut etiam* PATERENTUR *pro illo;* jure merito ergo dici poterant socii *gaudii* sive *gratiæ* Pauli.

Paulum Romæ, puta coram Nerone aut Romanis judicibus, publice Evangelii defensorem *verbis* egisse non est conjiciendum, quum Lucas (Act. Ap. Cap. XVIII. 16—31) illud non commemoret. Itaque, quæ Chrysostomi sententia est [1], ipsa illa *vinculorum gestatio* hic ab Apostolo vocatur sua et *apologia* et *confirmatio* Evangelii. Cum ergo Philippenses similiter Christi causâ PATERENTUR (infra ỹ. 29), intelligimus quomodo Apostolus eos dicat *socios suos et in vinculis, et in defensione et confirmatione Evangelii.*

Superest ut notemus ista: 1° Genitivum *του ευαγγελιου* referendum esse etiam ad vocem *απολογιᾳ*, tum quòd aliàs hæc vox suo sensu careat, tum etiam quia non repetitur Articulus *τῃ* ante *βεβαιωσει*. 2° Voces *απολογια* et *βεβαιωσις* quamquam hìc *ipsa re* non differunt, tamen non esse *significatione* æquipollentes sed ita esse sumendas, ut *απολογια* habeatur tamquam causa cujus effectus sit *βεβαιωσις*. 3° Particulas *τε και* ita res duas hoc loco copulare, ut altera spectanda sit in *causa* quæ hic sunt vincula, altera vero in hujus causæ *effectu* qui hic est Evangelii *defensio* ejusdemque *confirmatio*. 4° Genitivum *της χαριτος* (Vulgat. *της χαρας*) *gaudii*, pendere a voce *συγκοινωνους*, ab eâdem vero voce utrum pendeat etiam Genitivus *μου*, id quidem non esse satis exploratum; posse inde pendere, quum exempla non desint quibus probetur nomina Græca nonnumquam construi cum duplici Genitivo, *Personæ* simul ac *Rei* [2]; sed etiam posse pendere a voce *της χαριτος*, si nempe pro *της χαριτος μου* Apostolus hìc scribere voluisset *μου της χαριτος*, quemadmodum ad Rom. XI. 14 scripsit *παραζηλωσω μου την*

(1) Hom. I. in Epist. ad Philippenses: *Αρα τα δεσμα βεβαιωσις του ευαγγελιου ην, αρα απολογια. Και πανυ ὑγιως· ὅτι ει μεν παρῃτησατο τα δεσμα, εδοξεν αν ειναι απατεων· νυν δε παντα ὑπομενων, και δεσμα και θλιψιν, δηλοῖ ὡς ουκ ανθρωπινης τινος αιτιας ἑνεκεν ταυτα πασχει, αλλα δια τον Θεον τον ανταποδιδοντα. Ουδεις γαρ αν και αποθανειν εἱλετο, και τοσουτους κινδυνους αναδεξασθαι, ουδεις αν και βασιλει τοιουτῳ κατεδεξατο προσκρουσαι, τῳ Νερωνι λεγω, ει μη προς ἑτερον ἑωρα βασιλεα πολλῳ μειζονα.* h. e. « *Ergo vincula erant confirmatio Evangelii, ergo erant apologia; ac jure quidem. Nam si vincula detrectasset, impostoris omnino speciem præbuisset; nunc vero omnia tolerans, et vincula et calamitatem, plane demonstrat non se humanam aliquam ob causam hæc pati, sed propter Deum, qui mercedem reddere solitus est. Nemo enim fuerit, qui et mori et tot adire pericula statuat, nemo qui tanti Imperatoris, Neronis dico, offensionem subeat, nisi alium multo majorem Imperatorem intueretur.*

(2) Vide Winer. § 30. 3. Anm. 3.

σαϰρα, et I Cor. IX. ℣. 27 *ὑπωπιαζω μου το σωμα*, et ad Philemonem ℣. 20 *μου τα σπλαγχνα*, et tandem in ipsa hac ad Philippenses epistola (Cap. II. ℣. 2) *πληρωσατε μου την χαραν*. Quare certe non est cur culpetur Interpres noster, quod Græca reddidit *socios gaudii* MEI.

℣. 8. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus JESU CHRISTI.

℣. 8. *Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὡς ἐπιποθῶ πάντας ὑμᾶς ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Paraphrasis. Nam testis mihi Deus est, quam vehementer omnes vos amem amore tali, quali JESUS CHRISTUS amabat.

℣. 8. *Testis enim mihi est Deus.*) Quod de suo erga Philippenses amore Apostolus modo dixerat (℣. 7. : *habeo vos in corde*), id nunc *confirmat*. Est ergo particula *γαρ* hic *confirmantis* superiorem professionem illam : *habeo vos in corde*. Sita autem hæc confirmatio est in eo, quod Apostolus DEUM TESTATUS adeòque interposito juramento (*testis enim mihi est Deus*) declarat se vehementi eorum omnium desiderio teneri. Eòdem recidit, sive legas *μαρτυς μου* sive *μαρτυς μοι*, nam utraque formula juramentum continet.

quomodo cupiam omnes vos.) Sensus est : *quantopere vos amem*. *Ὡς* hic valet *quantopere*, *quam*, ut Act. X. 15., XI. 33., Thess. II. 10. Verbum *επιποθειν*, quod Denominativum est a *ποθος desiderium*, notat *desiderare* aliquid, alicujus *teneri desiderio*. Quare locutio *επιποθῶ ὑμας* vehementissimi amoris significatio est. Vide HENR. STEPHANI *Thesaurum* ad h. v. Equidem novi Præpositionem *επι* in Compositis habere inter alias virtutes etiam hanc ut vim Verbi Simplicis intendat; in præsenti tamen loco hancesse ejus Præpositionis vim ideo non putem, quia præcessit Particula *ὡς*, quæ ipsa jam reddidit notionem Verbi intensissimam. Sunt qui dicant PAULUM per illud *επιποθῶ ὑμας* dicere voluisse *desidero videre vos*. Non placet; nam quid-ni tum scripsit *επιποθῶ ιδειν ὑμας*, ut alibi fecit? Cf. Ep. ad Rom. I. 11; I. Thess. III. 6, et II Tim. I. 4. (1) Quamquam vel ipsa orationis series (*in visceribus Jesu Christi*) obstat, ut patebit, quominus putemus *επιποθῶ ὑμας* hic significare *desidero videre vos*.

in visceribus Jesu Christi). Dixerat *quantitatem* sui amoris, declarat jam ejusdem *qualitatem*. Notum est *viscera* (רַחֲמִים) Hebræis sedem esse amoris, et ceterarum, quæ ejus generis sunt, affectionum. Præpositio *εν* notionem suam *localem* etiam hic obtinet; notat autem *statum internum in quo* quis versatur, ut 2 Cor. VIII. 2, Phil. I. 27. Scilicet, quasi IN *visceribus Christi* constitutus, EX iisdem PAULUS Philippenses suos diligit, hoc est, tali amore, quali Christus amabat. In pectore PAULI non tam ipsius quam CHRISTI cor palpitabat!

---

(1) Cf. VIGER. pag. 629.

(2) De *επιποθῶ* quod legitur infra (Cap. II. 26), vide quæ ad eum locum notavimus.

℣. 9—11. Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu: [10] ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, [11] repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei.

℣. 9—11. *Καὶ τοῦτο προσεύχομαι, ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσεύῃ ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει,* [10] *εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ,* [11] *πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης τῶν* [a] *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεοῦ.*

Paraphrasis; Et quod pro vobis a Deo peto, hoc est, scilicet, ut ad amorem illum vestrum in Deum accedat continuum incrementum scientiæ in re religiosa et omnimodi judicii, ut agnoscatis ea quæ probanda sunt, idque in eum finem, ut in diem extremi judicii sitis vitæ integri scelerisque puri, ac bonis operibus, quæ justitiæ fructus sunt, per Jesu Christi gratiam repleti, quod cesserit in laudem et gloriam Dei.

VARIANS LECTIO.

a) Καρπων—των, *in Plurali,* exhibent Codd. Minuscc. plerique; sed pro lectione καρπον—τον, quam et Vulgata nostra offert, stant ADEFG, et versiones antiqq. Sahid. Aeth. Arm. et Ital. Quare hæc lectio alteri præferenda est.

Supra (℣. 4) Apostolus dixerat se pro Philippensibus suis Deum indesinenter orare; hic (℣. 9-11) jam dicit *quid* ipsis a Deo petat; inde illa conjunctiva Particula *et*, quæ legitur in principio hujus versiculi.

℣. 9. *Et hoc oro, ut charitas vestra*). *Προσευχομαι*, puta *Θεῳ* quod latet in Præpositione *προς*. Sed difficultatem habet Particula *ἱνα* post *τουτο προσευχομαι.* Nam post Demonstrativum *τουτο* exspectabas illius *τουτο* Epexegeticum Accusativum, ut 2 Cor. XIII. 9.: *τουτο δε και ευχομεθα, την ὑμων καταρτισιν*, vel Infinitivum, v. g. *την αγαπην ὑμων ετι μαλλον και μαλλον περισσευσαι*, sicut Apostolus 2 Cor. XII. 7 scribere potuisset: *ευχομαι δε τουτο προς τον Θεον, μη ποιησαι ὑμας κακον μηδεν.* Jam qui dicant *ἱνα* hic valere *ὁτι*, nihil dicunt. Etiam Matth. XXIV. 20, Marc. XIV. 35, Luc. XXII. 46, I Cor. XIV. 13, Coloss. I. 9, et II Thess. I. 11 post *προσευχεσθαι* Particula *ἱνα* legitur, sed horum locorum alia ratio est, quum in iis *προσευχεσθαι* absolute scribatur absque Demonstrativo *τουτο*. In locis quæ modo citabam, *ἱνα* notionem suam *τελικην* constanter obtinet, valetque *precari*

in eum finem, ut. Atque hæc notio *finis* sive *scopi* etiam nostro ἱνα tribuenda est; sed ita, ut simul agnoscas hic Anacoluthon [1]. Nam postquam scripserat Apostolus verba και τουτο προσευχομαι, quibus *materia suæ precationis* per Epexegeticum Accusativum erat subjicienda, jam, quasi minimè scripsisset τουτο, variatâ oratione, sermonem per ἱνα solito modo continuavit. — *Charitas* Philippensium ea hic intelligitur, quam declaraverant in sua illa (ỳ. 5) perseverante κοινωνιᾳ εις το ευαγγελιον. Quæ κοινωνια cum propter Deum fieret adeoque in eorum erga Deum amore esset radicata, *charitas* quæ hic dicitur, intelligitur Philippensium in Deum amor, quatenus in constanti illa κοινωνιᾳ manifestus.

magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu). Phrasis περισσευειν εν τινι, quæ hic occurrit, notat *aliqua re abundare*, ita ut per Præpositionem εν cum suo Casu indicetur id quod ejus abundantiæ veluti materia est. Belgice: *datgene, waaraan iemand overvloed heeft.* Cf. II Cor. III. 9. VIII. 7. Itaque Apostolus hisce verbis Philippensibus optat, non *incrementum charitatis*, sed ut ipsorum charitas magis magisque ditescat *in scientia et in omni sensu.* Potest quidem περισσευειν εν τινι etiam aliam habere notionem, verùm eam, quam locutioni illi hic subjicimus, omnino postulat contexta oratio: a Deo peto pro vobis, inquit, ut ad charitatem vestram accedat continuum incrementum *scientiæ et omnis sensûs, ut probetis potiora,* etc. Dicit *ut probetis;* non dicit *ut diligatis;* ergo proprie non agitur de incremento charitatis, sed de incremento earum rerum, quæ Philippensium charitatem comitabantur, de incremento, inquam, *scientiæ et omnis sensûs.* Vox επιγνωσις, ob vim Præpositionis επι, reddi potest *recta, accurata cognitio*, puta eorum quæ ad doctrinam fidei et ad agendam vitam bene Christianam pertineant. Vox αισθησις (*sensus*), quæ non nisi semel in N. T. legitur, mihi videtur eam hic notare dotem mentis quam Apostolus dicit (ad Hebr. Cap.V. 14) esse τελειων, των δια την ἑξιν τα αισθητηρια γεγυμνασμενα εχοντων προς διακρισιν καλου τε και κακου. Itaque αισθησις idem hic erit quod διακρισις *discretio* (discernement); cui interpretationi omnino favent sequentia ista: εις το δοκιμαζειν ὑμας τα διαφεροντα, nam certe ad *probanda* ea quæ inter varia sunt *potiora*, præter accuratam rerum cognitionem etiam opus est certo quodam *sensu, judicio,* inquam, *discretionis.* Dicitur *in omni sensu* (εν παση αισθησει), h. e. *in omnimodo sensu*, nempe propter *varietatem* rerum, in quibus opus est illo *discretionis judicio;* ut adeo πας hic valeat παντοδαπος, quemadmodum et 2 Cor. IX. 8.—2 Thess. II. 17.

ỳ. 10. *ut probetis potiora).* Est hic *finis proximus* ob quem Apostolus pro illis petit a Deo, ut eorum charitas *magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu.* Quæ vero sequuntur, *ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi*, hæc *remotiorem* ejus petitionis exprimunt *finem.*

---

(1) De Anacolutho videsis VIGERUM pag. 894, et WINERUM § 64. II.

ut probetis potiora). Εις cum Accusativo (εις το δοκιμαζειν) hic sumitur de *scopo* aut *fine*, ut sæpe alibi, v. g. Rom. I. 11. — 2 Thessal. I. 5. — Δοκιμαζειν non tam *probare* hic notat, quam, quod vicinum est, *agnoscere*, quo sensu etiam alibi (Rom. II. 18. XII. 2. Luc. XII. 56) occurrit. Vox διαφερειν *intransitive* sumpta, primùm quidem notat *differre, diversus esse*, sed mox *excellere*, *præstare*, ut hic; sunt ergo τα διαφεροντα *præstantiora*, *potiora*: ubi tamen notandum est, *præstantiora* non opponi *minus præstantibus*, sed, ut et Rom. II. 28, iis, quæ non sunt probanda. Puta comparationem institui inter *probanda et non probanda* vel *improbanda*, et priora illa dici *præstantiora*. Sermo autem est, quod sequentia (ỷỷ. 10. 11) docent, de iis quæ spectant ad vitam agendam bene Christianam. Quamquam vero Apostolus loquitur universe, fieri tamen potest ut singularia quædam hic ob oculos habuerit; sed quum res Philippensium hactenus nobis ignotæ sint, malim a conjecturis abstinere.

ut sitis sinceri). Græcè ἐιλικρινεις. Vox ειλικρινης est, secundum Wahlium (in *Clavi* N. T.) ab εἵλη vel ἑλη, *solis splendor*, et κρινω: ut adeo ειλικρινης is sit qui ad solis lucem examinatus purus deprehenditur. Si verum sit hoc, rectius, opinor, scriberetur cum spiritu aspero εἱλικρινης. Quidquid sit de hoc etymo, collatis locis tribus (I Cor. V. 8. — II Cor. I. 12. — II Petr. III. 1) in quibus occurrunt voces ειλικρινης et ειλικρινεια quæ ab illius Dativo derivatur, eæ voces mihi videntur in usu loquendi significasse *integritatem vitæ*, *intregrum vitæ*.

et sine offensa). Græcè και απροσκοποι. Vox απροσκοπος ex earum numero est, quæ et Activam et Passivam notionem habent; *Active* significat I Cor. X. 32 eum, qui aliis non est offensioni, qui locum non præbet alterius peccato; *Passive* vero notat Act. XXIV. 16 eum, qui *inoffenso pede* Christianæ vitæ stadium percurrit, qui sceleris purus est. Ac posteriori quidem hoc sensu vocem απροσκοπος in præsenti loco sumendam esse putemus, tum quia tamquam æquipollens quædam vox jungitur præcedenti ειλικρινεις, tum etiam quòd causa nulla est cur conjiciamus versatos fuisse Philippenses in occasione alios ad peccatum alliciendi, eaque tali, ut Apostolo videri potuerit necessarium eos hac de re monere; tum denique quia id quod sequitur, *repleti fructu justitiæ*, sententiam universalem continet, quod quidem suadet ut etiam id quod præcessit, *ut sitis sine offensa*, universaliter dictum intelligamus; hoc vero non fit si voci απροσκοπος subjicias notionem *alios ad peccatum alliciendi.* Noster etiam interpres vocem Passive accepit; nam reddidit *sine offensa*; vox autem *offensa* Passive significat, v. g. in hoc Ciceronis (ad Att. IX. 2): *magna in offensa sum apud Pompejum.* Docente Facciolato (in Lexic. ad. v. *offensio*), vox *offensio* et argenteæ ætatis scriptoribus usitatior vox *offensa*, numquam Activa significatione sed Passiva semper sive Neutra intelligi debent. Ergo, demta metaphora, hunc dixerim esse sensum Apostoli: *Ut sitis sine malis operibus, et pleni bonis operibus*, nam hoc sibi vult per illud *repleti fructu justitiæ*, ut mox videbimus.

in diem Christi). Non scripsit Apostolus *usque* (αχρι, ut supra ỷ. 5) in diem Christi, sed in (εις) diem Christi. Vertendum est: *voor den dag van Christus.* Nimi-

rum Præpositio *εις* etiam hoc loco obtinet nativam suam notionem *directionis*, quæ quidem hic est IN certum aliquod tempus; eo modo quo CICERO dixit (*Philippic.* II. 30): *qui in proximum annum consulatum peteres.* Est autem *dies* CHRISTI, dies *extremi judicii*, de quo tibi constabit, si conferre volueris loca hæc: II Tim. I. 12. IV. 8. II Petri. II. 9. III. 7. Sensus ergo est: *ut ante tribunal* CHRISTI *Judicis stare possitis sine labe peccati*, puta, gravioris.

ỷ. 11. *repleti fructu justitiæ).* Græce *καρπον δικαιοσυνης*. Verbum *πληρουν* legitur constructum cum Genitivo (Luc. II. 40. Rom. XV. 13. 14), cum Dativo (Rom. I. 29. II. Cor. VII. 4), et cum Accusativo (hoc loco, et Coloss. I. 9) *rei* illius, qua quis implet aut impletur. Accusativus qui hic jungitur Verbo *πληρουμαι* explicandus est ex nota illa Syntaxi, qua Verba quæ in Activo geminum Accusativum adsciscunt, in Passivo cum Accusativo *rei* construuntur; nam PAULUM habuisse Verbum *πληρουν* tanquam tale quod geminum Accusativum admitteret, id quidem patet ex II Thess, I. 11: *ἱνα ὑμας.... πληρωση πασαν ευδοκιαν αγαθωσυνης, και εργον πιστεως εν δυναμει.* Quod si Græcorum usus loquendi istiusmodi verbi *πληρȣν* syntaxin nullibi gentium admiserit, dicerem Apostolum ita locutum esse, Gentis suæ, id est Hebræorum morem loquendi secutum; nam Verbum מִלֵּא *implevit*, et quæ sunt præterea Verba *implendi*, cum gemino Accusativo construere solent Hebræi. v. g. in hoc Ezech. VIII. 17.: מָלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ חָמָס h. e. *impleverunt terram iniquitate* [1]. Ad verba *fructu justitiæ* quod attinet, notandum est, *fructum* intelligi *bona opera*, quod constat ex locis parallelis quæ leguntur in epistola ad Rom. VII. 4-7 et ad Ephes. V. 9; ex quo posteriore loco pariter colligitur Genitivum *justitiæ* non esse Genitivum *Objecti*, quasi bona opera hic dicantur fructus qui *efficiant* justitiam, sed Genitivum *Statûs* sive *Originis*, ut *justitia* sit veluti arbor a qua illi fructus proferantur. Scilicet *bona opera* vocantur *fructus justitiæ*, quatenus proferri possunt et debent ab eo qui, utpote ex semine Adæ propagatus, natus *injustus* [2] *et filius iræ* [3], ab hoc *injustitiæ* statu translatus est in statum *justitiæ*, quando renatus in secundo Adamo, Jesu Christo, inquam, Salvatore nostro, *eâ renascentiâ per meritum passionis ejus gratia illi est tributa, qua factus est justus* [4].

per Jesum Christum). Sed Græce est *τον δια Ιησου χριστου* scil. *οντα*, h. e. qui fructus non solis nostris viribus sed JESU CHRISTI gratiâ nobis auxiliante a nobis profertur. *Abundantius*, inquit PAULUS, *illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* I Cor. XV 10.

in gloriam et laudem Dei). Jungenda sunt hæc cum verbis *fructu justitiæ repleti.* Præpositio *εις* utrum hic adhibeatur ad *effectum* an vero ad *scopum* significandum, ambigi potest; si *scopum* indicari putemus, dicendum erit Apostolum hic docere, in

---

(1) Cf. GESEN. Lehrgeb. der Hebr. Sprache § 217. 2. b.

(2) Trid. Sess. VI. Cap. III.

(3) Ephes. II. 3.

(4) Trident. ibid.

operibus bonis præstandis non nostram ipsorum sed Dei laudem et gloriam esse spectandam : si vero arbitremur *effectum* indicari, Pauli mens erit obiter monere Philippenses suos, Deo ex bonis operibus obvenire laudem et gloriam, externam puta. Ac mihi quidem videtur Apostolus posterius hoc sibi voluisse, quum Philippenses cogitet non tamquam tales qui in posterum bonorum operum fructus edituri sint, sed tamquam tales qui eos fructus jam edidissent.

℣. 12. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii :

℣. 12. *Γινώσκειν δὲ ὑμᾶς βούλομαι, ἀδελφοί, ὅτι τὰ κατ᾽ ἐμὲ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν·*

Paraphrasis : Sed jam ad res meas quod attinet, scire vos volo, fratres, ea quæ mihi acciderunt, rei evangelicæ non obfuisse sed potius profuisse :

Quæ præcesserunt (℣. 1—11) epistolæ veluti exordium sunt. Hic vero transit Apostolus ad ea dicenda, quorum causa scriptio fuerat suscepta. Et quum ob ejus vincula turbati essent Philippenses, rati impedimento ea esse propagandæ notitiæ Christianæ religionis, Paulus, ut ab hac sollicitudine eos liberet, primùm notum illis facit, tantùm abesse ut illa vincula rei Evangelicæ obfuerint, ut contra potius profuerint : quod quo modo factum sit, deinceps (℣℣. 13 et 14) explicat.

℣. 12. *Scire autem vos volo, fratres*). Particula *δε* hic *meræ transitioni* inservit [1]. Pro *γινωσκειν ὑμας βουλομαι*, alibi eodem sensu Apostolus dixit : *ου θελω ὑμας αγνοειν.* cf. Rom. I. 13. — II Cor. I. 8. — *Fratres!* Hoc amoris titulo olim Christiani se mutuo appellabant. Sic S. Justinus *Apol.* I. 65 (edit. *Maur.*) : *Επειτα*, inquit, *προσφερεται τῳ προεστωτι των αδελφων αρτος και ποτηριον ὑδατος και κραματος*, *κ. τ. λ.* h. e. « *Deinde ei, qui fratribus præest, panis affertur et poculum aquæ et vini.* »

quia quæ circa me sunt). Notum est Interpretem nostrum fere scribere *quia* pro *quod.* Locutio *τα κατ᾽ εμε* (scil. *πραγματα*) notat res, casus, vel universè ea omnia, quæ alicui accidunt [2]. Eadem locutio occurrit etiam in Epistola ad Coloss. IV. 7. Intelligit hic Apostolus captivitatem suam et vincula.

magis ad profectum venerunt Evangelii). *Μαλλον* (*magis*) quam quid? scilicet altera pars Comparationis hic reticetur, ut fere fieri solet in familiari sermone, [3] : quæ mihi, inquit, acciderunt *potius* profuerunt rei Evangelicæ *quam* obfuerunt, quod vos timebatis. *Ερχεσθαι* hic notat *cedere*, *evenire in*, ut Act. Ap. XIX. 27 et Sap. XV.

(1) Cf. Devarium *de Gr. ling. particulis,* ad h. partic.

(2) Vide Vigerum *de Idiotismis.* Cap. I. V., in subjecta nota 10.

(3) Cf. Act. XXVII. 13. 2. Cor. VII. 7. Vide Winer. § 36, 3. pag. 198.

5 : εις ονειδος ερχεται, h. e. *cedit in libidinem;* eodem sensu αποβαινειν εις adhibetur infra (ỳ. 19). Vox προκοπη notat *progressionem in via*, et metaphorice *incrementum* quod capit res quæpiam aut persona, ut infra ỳ. 26, et I. Tim. IV. 15. —*Evangelium* metonymice hic designat religionem Christianam.

ỳ. 13–14. ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in ceteris omnibus, [14] et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

ỳ. 13—14. ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι· [14] καὶ τοὺς πλείονας τῶν ἀδελφων, ἐν Κυρίῳ πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μου, περισσοτέρως τολμᾶν ἀφόβως τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον λαλεῖν.

Paraphrasis: ita ut me in vincula conjectum esse, solùm utpote Christianum, per tota castra Prætoriana, et ceteris omnibus per Romam incolis, innotesceret; ac plerique ex fratribus Domino juvante animosiores ex meis vinculis effecti, magis auderent Christum intrepide prædicare, quam ausi essent si ego ejus causâ vincula non ferrem.

Vincula sua rei Christianæ profuisse Apostolus declarat, idque confirmat ex duplici effectu sive eventu; quorum prior memoratur Versiculo 13, posterior sequenti.

ỳ. 13. *ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo*). Ὥστε cum Infinitivo construitur ad indicandum rei *effectum* aut *eventum* [1]; v. g. Matth. VIII. 24. 28. Luc. XII. 1. Jungendum est εν Χριστῳ cum φανερους, non vero cum γενεσθαι.

In Paulo factum non est, quod in vulgo captivorum fieri solet, ut scilicet *fere ignota* sint eorum vincula, aut certe *ignoretur quam ob causam* iisdem sint adstricti; nam Pauli vincula *et publice innotuerunt, et præterea palam factum est* ea nullâ aliâ de causâ ipsi fuisse injecta, quam quod novam prædicaret Religionem. Atque hoc est δεσμυς Pauli γενεσθαι φανερυς εν Χριστῳ· innotuit, inquam, tanquam *vinctus* et quidem tanquam *Christi causâ vinctus.* Si Apostolus voluisset dicere tantummodo, se tamquam vinctum innotuisse, repetito Articulo scripsisset τους δεσμους μου τους εν χριστῳ. Locutio εν χριστῳ breviloquium est pro ὡς εν Χριστῳ οντας. *Vincula mea* per Metonymiam dictum est pro *me vinctum.* Præpositio εν hic *statum* notat, in quo quis vel quid versatur, ut Rom. IV. 10. Vinctus est utpote *in statu conjunctionis* cum Christo, h. e. quippe qui Christianus erat.

in omni prætorio). Prætorium S. Chrysostomus interpretatur τα βασιλεια, h. e. *palatium Cæsaris.* Theodoretus verò affirmare non audet etiam hoc nomine *tunc temporis* palatium Cæsaris fuisse vocatum [2]. Acriter disputatum fuit superiori sæculo de vera hu-

(1) Cf. Winer. § 42. 5. Anm. 1.

(2) In h. loc.: Εικος δε ὅτι και οὑτως κατ' εκεινον ονομαζετο τον καιρον.

jus vocis significatione inter Perizonium et Huberum [1]. Illud certum, *Prætorium* fuisse dictum etiam de ea militum cohorte, cui custodia corporis Imperatoris commissa erat (*de keizerlyke lyfwacht*); cui cohorti qui præerat, is *præfectus Prætorii* vocabatur [2]; et porrò, per Metonymiam, *Prætorium* vocabantur etiam *castra* militum prætorianorum [3]. Atque hæc castra Apostolum hic ob oculos habuisse equidem putem; nam si de Palatio seu domo Cæsaris loqui voluisset, cur non scripsisset εν ὁλῃ τῃ Καισαρος οικιᾳ, ut scripsit infra Cap. IV. 22?

et in ceteris omnibus). Præpositio εν in nullo codice græco hìc legitur; et pariter abest ab antiqua Itala, et a versione Syriaca; quare putaverim a Paulo fuisse scriptum non εν τοις λοιποις πασι sed τοις λοιποις πασι; is autem Dativus censendus est pendere non a Præpositione εν (εν ὁλῳ τῳ πραιτωριῳ), sed a dictione γενεσθαι φανερους. Itaque Apostolus, Hyperbolâ quâdam usus, dicit: non tantùm militibus prætorianis, sed et ceteris omnibus per Romam incolis innotuisse, se Christi causâ in vinculis esse. Hoc autem passim innotescere non poterat, quin simul nasceretur occasio inquirendi quænam esset nova hæc religio; quod et Apostolus hic innuere voluit. Ceterùm ad pleniorem eorum, quæ hic dicuntur, intelligentiam, legenda sunt quæ refert Lucas Act. Ap. Cap. XXVII. 16-31.

℣. 14. *et plures e fratribus in Domino)*. Illud *in Domino* S. Chrysostomus refert non ad præcedens *fratribus*, sed ad sequens *confidentes*. Recte, ut ego quidem arbitror; nam *Christianos* Apostolus perpetuò *fratres* simpliciter vocat, non addito illo *in Domino*. Scribitur cum Articulo, τȣς πλειονας, adeoque vertendum erat non *plures* sed *plerosque* [4] aut *plurimos*, quemadmodum et Interpres noster voces οἱ πλειους alibi reddidit (Act. Ap. XXVII. 12. et Cor. II IX. 2). Pendet autem dictio τους πλειονας.... πεποιθοτας.... τολμᾳν a præcedente ὡστε.

in Domino confidentes vinculis meis). Græce: εν Κυριῳ πεποιθοτας τοις δεσμοις μου. Apostolus alibi scripsit: εγω πεποιθα εις ὑμας εν Κυριῳ (Gal. V. 10), et πεποιθαμεν δε εν Κυριῳ εφ' ὑμας (II Thessal. III. 4); ex quibus locis patet Paulo insuetum non esse hoc verbum construere cum duplice Complemento. Πεποιθοτας quum sit forma Temporis Præteriti, non reddendum est *confidentes* sed *confisos*, *fretos vinculis meis*. Solet Paulus πεποιθα construere cum una alterave Præpositione (II Cor. I. 9. II. 3. Gal. v. 10. Philipp. III. 3. 4), sed tamen nonnumquam et cum mero Dativo construit, ut in hoc (Philem. ℣. 21): πεποιθας τῃ ὑπακοῃ σου, ubi τῃ ὑπακοῃ, ut hic τοις δεσμοις, non est Dativus *Insttrumenti*, sed Casus vocis πεποιθοτας. Jam quid sit illud *in Domino confisos*, *fretos vinculis meis*, mox dicetur.

---

(1) Jac. Perizonii Diss. de origine, significatione et usu vocum *Prætoris* et *Prætorii*.

(2) Vide Facciolati ad h. v.

(3) Cf. Suetonii *Tib.* Cap. 37, et Tac. *Ann.* IV. 2.

(4) Cf. Matthiä. § 266.

abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui). Vox περισσοτερως non jungenda est cum voce αφοβος, quasi valeret αφοβωτερως, nec cum Verbo λαλειν, sed cum τολμαν, quod jam ipsa vocis proxima ante hoc Verbum positio satis docet. Ad Comparativum περισσοτερως nota, alteram Comparationis partem reticeri; de quo vide quæ scripsimus supra (ỷ. 12) ad vocem μαλλον. Sensus est: Abundantius, i. e. magis audebant quam aussi essent si Paulus Christi causâ in vinculis non jaceret. *Sine timore*, gr. αφοβως, i. e. *impavide, intrepide.* Quid vero Paulus sibi velit per illud *verbum Dei loqui*, ipse declarat sequente versiculo, ubi pro eo scribit: *prædicare Christum* (τον Χριστον κηρυσσειν).

Apostolus ergo docet hic: Christianos Romanos ob ejus vincula adeò non fuisse deterritos a publica Christianæ Religionis professione, ut contra *freti ejus vinculis*, h. e. animosiores, audaciores inde effecti, jam magis quam si vinctus non esset, Christum auderent intrepide prædicare. Nimirum, ut recte animadvertit Oecumenius, *sumpserant audaciam confirmati in fide per* Pauli *vincula. Nam aiebant: nisi divina esset prædicatio, neque* Paulus *sustineret pro ipsa vinciri* (1). Illud *in Domino* notat Romanorum illam παῤῥησιαν sive in prædicando Christo audaciam ipsis obtigisse ut *in* Christo exsistentibus, hoc est, ejus gratiæ auxilio adjutis, secundum illud effatum Salvatoris (Jo. XV. 4): *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi* in *me manseritis.*

ỷ. 15—17. Quidam quidem et propter invidiam, et contentionem: quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant. 16 quidam ex charitate: scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. 17 Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

ỷ. 15—17. *Τινὲς μὲν καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν, τινὲς δὲ καὶ δι' εὐδοκίαν τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν·* 16 *οἱ μὲν* (Vulg. ỷ. 17) *ἐξ ἐριθείας, τον Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου·* 17 *οἱ δὲ* [a], (Vulg. ỷ. 16) *ἐξ ἀγάπης, εἰδότες ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελιου κεῖμαι.*

Paraphrasis: Sunt sanè quidem etiam tales qui ex invidia et vitiosa æmulatione Christum prædicant; sed sunt quoque qui id faciunt ex benevolentia erga me: et illi quidem, qui suo in me amore ad hoc ducuntur, Christum annunciant, quippe qui sciunt hoc mei muneris esse, et ad hoc me esse constitutum; qui verò ex invidiosa æmulatione ad hoc moventur, non recta intentione illud faciunt, quippe qui opinantur se mihi vincto ærumnas creare.

---

(1) Πεποιθοτας τοις δεσμοις μου. Θαρσος γαρ αυτους ελαβε, βεβαιωθεντας δια των Παυλου δεσμων προς την πιστιν. Ει γαρ μη θειον ην, φησι, το κηρυγμα, ουκ αν ὁ Παυλος ηνειχετο ὑπερ αυτου δεδεσθαι. Oecum. ad h. l.

VARIANS LECTIO.

a) Verbis tantum οἱ μεν et οἱ δε suo loco relictis, versus 17 ante ℣. 16 ponitur in Codd. ABDEFG variisque Minusculis, et in versionibus antiquis. Quare non ausim dicere ordinem versiculorum in Vulgata nostra hic esse turbatum. Versiculorum ordinem, ut in Vulgata est, secuti sunt Græci Novi Testamenti editores recentiores, Vater, Scholz, Goeschen, Schott, et Tischendorf.

℣. 15. *Quidam quidem—quidam autem, etc.)* τινες μεν και—τινες δε και. Duas hominum classes hic indicari patet; sed hoc quæritur, an Apostolus in duas classes has distinguat eos ipsos, quos supra (℣. 14) dixit *in Domino confidentes vinculis meis abundantius ausos sine timore verbum Dei loqui.* Ratio dubitandi oritur ex formula τινες μεν—τινες δε præcedenti (℣. 14) effato subjecta. At verò sicubi eorum, quæ generatim jam dicta sunt, *distributionem* in partes aut classes indicare volunt auctores qua sacri, qua profani, constanter scribunt aut οἱ μεν—οἱ δε, aut τινες—οἱ δε, aut etiam οἱ δε τινες—οἱ δε τινες, aut tandem, οἱ μεν—αλλοι δε—ἑτεροι δε [1]. Præterea, Apostolus, ut mihi quidem videtur, quos dixerat *in Domino confidentes vinculis suis intrepide verbum Dei loqui*, eosdem non dixerit *propter invidiam et contentionem Christum prædicare.* Obstat etiam repetitum illud και, quo minus putem Apostolum hoc versiculo tantum de iis loqui, quos superiore versiculo generatim designaverat; nam και *diversum quid annectit* præcedentibus. Itaque Chrysostomum secutus [1] opinor eos, qui hic dicuntur τινες μεν και, diversos esse ab iis qui ℣. 14. descripti sunt. Qui verò hic dicuntur τινες δε, hos quidem pro iisdem habeo, quos ℣. 14 vocavit τους πλειονας. Quod autem qui modo dicti fuerant ὁι πλειονες, jam dicuntur τινες, hoc ideo factum est quia *apponendi* erant τισι δια φθονον και εριν Χριστον κηρυσσουσι. Apostolus ergo, postquam dixit (℣. 14) *plerosque fratrum* ex vinculis suis in fide confirmatos intrepide jam Christum prædicare, pergit dicere (℣. 15): sunt quidem etiam tales (τινες μεν και), qui *propter invidiam et contentionem Christum prædicant*, sunt verò quoque tales (τινες δε και) qui id faciunt δι' ευδοκιαν. Statuit ergo duas hominum classes: *alteri* (scil. τινες δε και, iidem qui οἱ πλειονες) Christum prædicant bonâ mente, malâ *alteri* (scil. τινες μεν και). De utrisque porro loqui pergit Apostolus: et de his quidem versiculo 16, de illis verò versiculo sequenti.

propter invidiam et contentionem). scil. *Christum prædicant*, quod ex sequen-

(1) Hom. 2 in Ep. ad Philipp.; sed putat S. Pater hos fuisse ex infidelibus (πολλοι των απιστων, και αυτοι τον Χριστον εκηρυττον): *multi*, inquit, *ex infidelibus ipsi quoque Christum prædicabant;* quod vero simile mihi quidem non videtur. Nobiscum facit etiam Hervæus ad h. l. «Ideo autem dixi plures e fratribus in Domino confidentes, annunciare ob mea vincula verbum Dei, et (quia?) non omnes ita faciunt. Alii enim ex ipsis sunt mercenarii, alii filii.»

tibus supplendum est. Bene *Estius* : (ad h. loc.) » CAJETANUS, inquit, *contentionem* refert ad disparitatem doctrinæ ; putat enim hos (*contentiosos*) unà cum CHRISTO legalia servanda prædicasse, idque contentione quadam contra PAULUM, qui Legem docebat abolitam. Sed improbabilis est hic commentarius ; non enim Apostolus, quod infra (℣. 18) dicit, gavisus fuisset, si qui perniciosa et adulterina dogmata tradentes, CHRISTUM prædicarent, Evangelium ejus invertentes, sicut loquitur ad Galat. 1. Quos eosdem etiam hujus epistolæ Cap. 3 vocat *inimicos crucis Christi*. Quare hi, de quibus nunc agit, nec cum illis sunt comparandi adversus quos agit in 2 Epistola ad Corinthios, dicens eos *adulterare verbum Dei* (Cap. II. et IV) et appellans *operarios subdolos ac Satanæ ministros* (Cap. XI), utique propter doctrinæ corruptelam. Sane etiam AUGUSTINUS (Præfat. in Ps. CXV) istos nihil præter regulam fidei annunciasse intelligit [1]. »

Vocem φθονος *invidiam* notare certum est ; sed vox ερις quomodo hic reddenda ? nam obvia vocis notio, quæ est aut *lis*, aut etiam *rixandi studium*, in præsentem quidem locum non satis quadrare mihi videtur. Equidem putem vocem ερις hic Latine reddendam esse *æmulatio* ; nam versiculo sequenti Apostolus voces φθονος et ερις per vocem εριθειαν explicat ; εριθεια autem ibi esse videtur vitiosa (invidiosa) æmulatio. HESYCHIO ερις est φιλονειχια, *æmulatio* [2].

Suam hi quærentes gloriam, PAULI famæ et gloriæ in prædicato Evangelio invidebant illique æmulabantur, *contendentes* honore illi præferri ; atque *invidiæ* et vitiosæ huic *æmulationi* ut (δια cum Acc.) indulgerent satisfacerentque, isti CHRISTUM prædicabant.

propter bonam voluntatem). Græce δι' ευδοχιαν. Qui CHRISTUM prædicabant *propter invidiam et contentionem*, illi *malevolo* ergo PAULUM affecti erant *animo* ; sed *benevolo*, qui id faciebant δι' ευδοχιαν, h. e. ut suo erga ipsum amori satisfacerent. Nimirum vox ευδοχια in S. Scriptura adhibetur etiam ad indicandum affectum benevolum, sive propensam animi affectionem, quâ quis alicui bene cupiat ; quo sensu ea vox etiam hic sumenda est, tum ob antithesin δια φθονον και εριν, tum quia illa ευδοχια mox (℣. 17) vocatur αγαπη. Jam THEODORETUS observavit eum Scripturarum loquendi morem [3]. Τον Χριστον per Metonymiam dicere pro *doctrina Christi*, PAULO solenne est.

℣℣. 16. 17. Exponitur his versiculis quid utrique prædicatores versu 15 designati in prædicando Evangelio intenderent, quod attinet ad personam PAULI.

---

(1) In eamdem sententiam loquitur S. CYPRIANUS Ep. 73, ad JULIANUM.

(2) Desunt mihi exempla quibus ex usu loquendi Græcorum probem notionem, quam tribuo voci ερις. Observo tamen etiam THEOPHYLACTUM verba Apostoli δια φθονον και εριν sic interpretari : εκηρυττον.. inquit, τον Χριστον... βουλομενοι και αυτοι τιμᾶσθαι και ὑποσπᾷν τι της εμης δοξης h. e. « annunciabant CHRISTUM, volentes et ipsi honorari, et aliquid de mea gloria detrahere. » Præiverat illi in hac interpretatione S. CHRYSOSTOMUS.

(3) THEODORET. *Interpret. Ep. ad Eph. Cap. I :* ευδοχιαν, inquit, την επ' ευεργεσιᾳ βουλησιν εθος τῃ θειᾳ καλειν γραφῃ. h. e. « Divinæ Scripturæ mos est, ευδοχιαν ponere pro benefaciendi voluntate (benevolentia). »

quidam ex charitate — quidam autem ex contentione). Græce οἱ μεν ἐξ αγαπης scil. οντες — οἱ δε ἐξ εριθειας scil. οντες [1]. Quum οἱ—οἱ hic fungantur officio Pronominis Demonstrativi [2], malim vertere *illi quidem*, *qui ex charitate sunt— illi vero*, *qui sunt ex contentione*. Præpositio εκ notat *unde* veluti *oriundi* utrique agerent. Ad verba *ex charitate* supplendum est ex præcedentibus το *Christum prædicant*; et *charitas*, quæ hic dicitur, non alia intelligitur [3] quam ea, quæ modo ab Apostolo vocabatur *bona voluntas* (ευδοκια *benevolentia*). Dicit ergo: illi quidem, qui *ex charitate sunt*, h. e. qui benevolo animo erga me sunt affecti, Christum prædicant, *scientes quoniam*, etc.

scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum). His verbis *ratio* exponitur, ob quam illi ex sua erga Paulum *benevolentia* Christum prædicarent. Itaque Participium ειδοτες (*scientes*) in Verbum Finitum resolutum valet hic *quippe qui sciunt*, quemadmodum et Rom. V. 3. — Κειμαι εις τι dicit is qui ad aliquid agendum est constitutus. cf. I Thessal. III. 3. Eodem sensu τιθεμαι εις τι dicitur I Tim. II. 7., et II Tim. I. 11.— Evangelii *defensio* (απολογια) non est hic diversa ab ejusdem *prædicatione*; nimirum, ut tunc erant tempora, Evangelii doctrina simul erat et prædicanda et defendenda. Jam quid per hæc verba sibi velit Apostolus, rectissime, ut mihi videtur, explicat Hervæus, qui Paulo tribuit sermonem hunc: « Quia vident me modo catenis detentum non posse ad plenum exercere officium meum, illi vice ac loco mei prædicant Christum, ut ipsi suppleant, quod ego nunc *minus* possum [4]. » Et verò non *omnino* a prædicando erat impeditus, ut constat ex Act. XXVIII. 23-31.

ex contentione). Gr. ἐξ εριθειας. Vox εριθεια etiam in epistola S. Jacobi occurrit Cap. III. 14, ubi dicit: ει δε ζηλον εχετε και εριθειαν εν τῃ καρδιᾳ ὑμων, et mox (℣ 16): ὁπου γαρ ζηλος και εριθεια, εκει ακαστασια και παν φαυλον πραγμα. Ex his autem locis patet vocem εριθεια etiam notare certam quamdam animi affectionem, et talem quidem quæ cognata sit ζηλῳ πικρῳ. Porro observamus Apostolum, quemadmodum supra (℣. 15) locutionem δι' ευδοκιαν explicaverat per dictionem ἐξ αγαπης, ita nunc præcedens δια φθονον και εριν explicare per unicam dictionem ἐξ εριθειας. Accedit, vocem εριθειαν occurrere infra (Cap. II. 3) junctam tamquam vocem æquipollentem voci κενοδοξια. Quæ cum ita sint, non putem me multum a vero abesse, si huic voci obscuriori tribuam notionem *vitiosæ ambitionis*, sive *invidiosæ æmulationis*.

Christum annunciant non sincere). gr. ουχ ἁγνως i. e. *non caste*, sed quo fere sensu Cicero dixit (pro Lege Manil. 1): *Meus labor in privatorum periculis caste*

---

(1) Cf. Rom. II. 7. 8.

(2) Cf. Winer. § 20.

(3) Cf. Hervæum ad h. l. et Cyprianum Ep. 73. ad Julianum.

(4) Cf. Hervæum ad h. l.

integreque versatus. Sensus est : non pura rectaque intentione. Cur illi *non caste* Christum annunciarent, habes in sequentibus, in quibus exponitur quo consilio isti illud facerent.

existimantes pressuram se suscitare vinculis meis). Participium οιομενοι, ut præcedens (ỷ. 16) ειδοτες, resolvas *quippe qui existimant.* Quod autem dicit *existimantes*, eo simul notat quem tandem scopum isti in prædicando sibi ob oculos ponerent. Pro *pressura* græcè est θλιψις, quod translate est *afflictio*, passivo sensu. *Vinculis meis* per Metonymiam dictum est pro *mihi vincto*, et vox *suscitare* (εγειρειν) hic tantumdem valet quod *creare*, nempe quo sensu Plautus dixit : *alicui ærumnas creare.* Sensus hujus loci his fere verbis recte explicatur apud Estium (i. h. 1.) : « Quidam Christum prædicant contentione quadam et æmulatione atque invidia adversum me ; videlicet gloriæ meæ, quam ex Evangelii prædicatione permagnam consecutus sum, invidentes. Itaque me nunc vinculis adstricto et a munere prædicandi evangelii impedito, illi gloriam evangelii propagati hac præsertim in urbe mihi eripere et ad se transferre nituntur. Cumque me sibi similem, hoc est, gloriæ cupidum arbitrentur, existimant se mihi vincto hoc malum inferre, quod splendore gloriæ suæ, quam ex Evangelio quærunt, me urant et dolorem ac tormentum animo meo adferant, velut qui gloriæ ipsorum invideam. Qua tamen in re vehementer falluntur, quum ego contra (*ut mox dicturus est*) ex animo gaudeam, quocumque modo Christus annuncietur, dummodo fructus Evangelii ad quamplurimos perveniat. »

ỷ. 18. Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur : et in hoc gaudeo,

ỷ. Τί γάρ; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται· καὶ ἐν τούτῳ χαίρω.

Paraphrasis : Quid enim? attamen Christus annunciatur quocumque tandem modo, sive bona mente sive mala ! ego autem et de hoc gaudeo.

Quid enim). Formula τι γαρ, ut et Latinorum *quid enim*, inservit removendæ objectioni, quæ contra modò dicta fieri possit, et simul introducit responsum ad illam ; Cf. Rom. III. 3. Scilicet, quod Apostolus supra (ỷ. 12) affirmaverat, nempe sua vincula profuisse rei Christianæ, id quidem, ex iis quæ modò (ỷỷ. 15 17) dicebat, infirmari *videbatur.* Itaque tacitæ huic objectioni respondet : *Attamen*, (πλην, ut infra IV. 14 et Matth. XVIIII. 7. XXVI. 39.) *quocumque tandem modo* (παντι τροπῳ), *sive bona mente*, *sive mala*, *Christus annunciatur* (gr. καταγγελλεται, in Præs. Indicat).

sive per occasionem, sive per veritatem) Græcè ειτε προφασει, ειτε αληθειᾳ Hac partitione explicat quod dixerat *quovis modo.* Προφασει et αληθειᾳ Dativi sunt quibus *modus* rei exprimitur [1]. Προφασις interdum *occasionem* significat; sed et *prætex-*

(1) Cf. Matthiä. 400. 5.

tum notat, qui etiam αφορμη Græcis dicitur. Atque hoc sensu, non illo, vox προφασις hic sumenda est, tum quia opponitur voci αληθειᾳ, tum etiam quia illi, ad quos illud προφασει refertur, dicuntur Evangelium annunciasse δια φθονον και εριν, sive εξ εριθειας. Voces προφασις et αληθεια quid notent quando sibi opponuntur, variis exemplis docet Raphelius [1], v. g. exemplo hoc ex Polybio: *Critolaus populum in concionem vocabat* προφασει μεν χρωμενος, in spéciem quidem *ut quæ acta cum Lacedemoniis essent, exponeret;* τῃ δε αληθειᾳ κατηγοριαν ποιουμενος Ῥωμαιων, re autem vera *ut Romanos accusaret.* Per αληθειᾳ verò, ut idem notat, non aliud hic indicatur quam νους sive animi sententia; ut αληθειᾳ sit *sincere*, *animo non fucato.* Nam alibi non minùs eleganter sibi opponuntur προφασις et νους. Sic Arrianus [2], *de Expedit. Alex.* 4, 1, 2. « *Cum his*, inquit, *redeuntibus* Alexander *quosdam ex amicis mittit*, προφασει μεν κατα πρεσβειαν φιλιαν ξυνθησομενους· ὁ δε νους της πομπης, κ. τ. λ. *prætextu quidem amicitiæ per legationem componendæ; re autem vera non aliò spectabat hæc missio, quam ut*, etc.

et in hoc gaudeo). Particula *et* hic valet *etiam*, ut sæpe alibi; εν τουτῳ, h. e. *de eo, quod* etsi id a nonnullis non bono fiat proposito, Christus vel sic tamen etiam prædicatur. « Non enim gaudebat Apostolus de perversa quorumdam intentione, sed de ipsa prædicatione, quatenùs nimirum per eam res Evangelica promovebatur. Est autem idem judicium de mercenariis in Ecclesia pastoribus, id est, de iis qui officium pascendi et prædicandi referunt non ad salutem ovium sibi commissarum, sed ad commoda sua terrena. Nam et illorum labor est populo Dei fructuosus, multoque satius est vel mercenarium habere pastorem, quam nullum. Quare et de Christo ab illis prædicato gaudendum est. » Estius ad h. l. — Præpositio εν ita hic intelligenda est ac si Apostolus scripsisset: *in his rei circumstantiis positus;* Nostrates similiter: *zich* in *iets verheugen, verblyden.*

ỷ. 19—20. sed et gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, et subministrationem Spiritûs Jesu Christi: 20 secundum exspectationem, et spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in cor-

ỷ. 19—20. ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι· οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως, καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, 20 κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μοῦ, ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, ἀλλ' ἐν πάσῃ παῤῥησίᾳ, ὡς πάντοτε,

Paraphrasis: Sed et aliquando gaudebo de hoc; nam quod isti moliuntur sat scio illud, juvante Deo a vobis pro me exorato, allaturum mihi esse hanc salutem ut, prout desidero et spero, in nullo casu ab officio deflectam, sed ut, exequente me officium meum cum summa intrepiditate, Christus, sicut hucusque semper, ita et deinceps

(1) Raphelii annotationes in N. T. a. h. l.

(2) Apud Raphelium. ibid.

pore meo, sive per vitam sive per mortem.	*καὶ νῦν μεγαλυνθήσεται Χριστὸς ἐν τῷ σώματί μου, εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου.*	magnificetur in corpore meo, sive diutius vivere mihi contingat, sive occidendus sim.

℣. 19. *sed et gaudebo).* Jungendum est hoc non cum præcedentibus sed cum sequentibus, quia non prorsus una eademque erat causa gaudii, ob quam dicit se *gaudere*, et ob quam significat se porrò *esse gavisurum.*

Ergo causam exponit cur *gavisurus* sit.

Scio enim, inquit, *quia hoc).* Quid? ipsum id quod modò (℣. 18) dixerat; hoc autem erat, *Christum annunciari* quocumque tandem modo, *sive* *προφασει* *sive* *αληθεια*; sed *eatenus tantum* hoc nunc spectat cum dicit *de eo* se *gravisurum* esse, *quatenus* invidiosi illi et ambitiosi homines, Christum prædicando, ipsi *pressuram suscitare* existimabant; spectat ergo hic Apostolus illam *pressuræ suscitationem.*

mihi proveniet ad salutem). Scio, inquit, hanc *pressuræ suscitationem* mihi cessuram esse *ad salutem.* Scripsit autem *εις σωτηριαν*, absque Articulo; quare quæ hic dicitur *salus*, hanc ne intelligas salutem illam perennem in altera vita obtinendam; sed cogita Apostolum scripsisse ita: *scio hanc pressuræ suscitationem futuram mihi esse* salutarem, et mox (℣. 20) explicare *modum quo* illam pressuræ suscitationem salutarem sibi fore certo speret. Dico *certo speret;* nam quod ait *scio*, non de aliqua certitudine divinitùs habita accipiendum est, sed de certitudine bonæ spei; nam pro illo *scio* mox (℣. 20) scribit *secundum exspectationem et spem meam.*

per vestram orationem et subministrationem Spiritûs Jesu Christi). q. d. bonam habeo spem fore ut hæc pressuræ suscitatio sit mihi salutaris, nempe per eas, quas (*της*) vos pro me funditis preces indèque mihi impetrandam *subministrationem Spiritûs Jesu Christi.* Tacitè se commendat precibus Philippensium, simulque declarat non suis viribus efficere se posse ut hæc pressuræ suscitatio futura illi sit salutaris, sed ad hoc opus illi esse *Spiritûs S. auxilio.* Vox *επιχορηγια* (*auxilii latio*) est a *χορηγειν* (i. e. *χορον αγειν*), quod notat primùm quidem *chorum ducere*, sed mox *sumptus suppeditare choro ducendo*, et deinde universè significat *largiri.* Genitivus *του Πνευματος* est Genitivus *subjecti.* Locutio *Spiritûs Christi* innuit Christi Domini *divinitatem*, et simul *Spiritum S. a Patre* Filioque procedere.

℣. 20. *secundum expectationem et spem meam, quia).* Illa particula *quia*, h. e. *quod* (gr. *ὅτι*) inducit, ut ita dicam, *materiam* illius *exspectationis et spei;* confer Nostratium: *volgens myne hoop en verwachting,* dat *ik namelyk*, etc. Materia autem sive *objectum* Pauli exspectationis et spei hoc est, scilicet *se in nullo confusum iri, sed in omni fiducia sicut semper, ita et deinceps magnificatum iri Christum in corpore ejus, sive per vitam, sive per mortem.* Dicendo autem quid speret et exspectet, unà jam explicat quid rei salutaris *sciat* allaturam sibi esse illam, quam dixerat, pres-

suræ suscitationem. Apostolus, meâ quidem sententiâ, hoc sibi voluit: « Sed et gavisurus sum de eo; nam scio ipsorum invidiam patienter a me toleratam, mihi, per auxilium Dei precibus vestris pro me exoratum, allaturam esse hanc salutem, scilicet ut, prouti exspecto et spero, *in nullo confundar, sed.... et reliqua.*» Videtur mihi Apostolus hic obiter docere justos per bona opera mereri posse augmentum gratiæ.

Vox *αποκαραδοκια* hic notat *exspectationem* non qualemcumque, sed intensam, et talem, quam comitatur desiderium, ut Rom. VIII. 19.—*In nullo*, Græce *εν ουδενι*, quod in Neutro Genere sumendum est, Belgicè reddi potest *in niets*; sed sensus est, ut ego quidem puto, *in nullo casu*, puta, sive vitam ulterius producere mihi concessum fuerit, sive violenta morte a Nerone mihi vita adimatur. Nam hoc mihi videtur Apostolus sibi velle per illud *εν ουδενι*, quia dicere pergit: *sed.... magnificabitur Christus in corpore meo*, SIVE PER VITAM, SIVE PER MORTEM.

confundar). Est in Pauli mente hæc cogitatio: Si diutius vivere mihi concedatur, vitam meam in obsequium Christi impendere debeo; si vero Nero occidere me voluerit, intrepide mortem pro Christo subire teneor; utrumlibet acciderit, meum est curare ut in me Christus magnificetur; cui officio si desim, erit hoc mihi pudori, erit ignominiosum, probrosum, *confusioni*, ut barbarâ voce dicam; at spero fore ut *in neutro casu* (*εν ουδενι*) *confundar, sed sicut semper, ita et nunc magnificetur Christus*, etc.

sed in omni fiducia). gr. *εν παση παρρησια.* Vox *πασα* hic est *summa*, ut I Tim. I. 16. Jacob. I. 2., et *παρρησια* in usu valet *imperterritam in loquendo agendove libertatem.* Illius *πασης παρρησιας* Subjectum est Paulus. Particula *εν* est hic *societatis* [1]. Belgicè vertas: *by alle vrymoedigheid, by de grootste onverschrokkenheid.*

sicut semper et nunc). h. e. *sicut semper*, ITA *et nunc;* nam Hebraismus hic est, quo reticetur ITA, quod respondeat Adverbio *sicut.* Sensus: sicut *semper* ex quo fungi cœpi munere Apostolatûs, ita et *nunc*, hoc est, deinceps, *sive per vitam*, *sive per mortem*, i. e. seu mihi concedatur ulterius producere vitam, seu moriendum sit. *Δια* cum Genitivo hic adhibetur ad notandum *instrumentum quo*, ut passim, v. g. 3 Joh. 13 [2].

magnificabitur Christus in corpore meo). *μεγαλυνθησεται*, *celebrabitur*, ut Luc. I. 46, et Act. V. 13. Non dicit Apostolus *a me*, sed *in corpore meo*, quia se considerat tanquam per violentam mortem forte *occidendum.* Præpositio *in* (*εν*) valet Nostratium *aan*, quo sensu hic dicerent: *Christus zal aan myn ligchaam verheerlykt worden.* Eodem sensu *εν* legitur etiam I Cor. IV. 6, Joh. XIII. 35., et alibi passim [3].

---

(1) Vide Winer § 52. b.

(2) Vide Winer § 51. i.

(3) Cf. Winer § 52 a. 3.

℣. 21—22. Mihi enim vivere CHRISTUS est, et mori lucrum. 22 Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro.

℣. 21—22. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, Χριστός· καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος. 22 Εἰ δὲ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ, τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, καὶ τί αἱρήσομαι, οὐ γνωρίζω.

Paraphrasis: Nam mihi quidem hoc est vivere, quod CHRISTUM unum cogitare, illi inservire, illum magnificare; et ejus causâ mortem oppetivisse, lucrum puto. Sed quoniam in mortali hâc carne vitam producere, quoniam hoc mihi tantumdem est ac Apostolici laboris proferre fructus, etiam ignoro utrum eligere debeam, vivere an mori.

℣. 21. *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum).* Explicat et comprobat Apostolus quod modò dicebat *sive per vitam*, *sive per mortem;* nam his verbis innuerat se sentire *et uno et altero modo* CHRISTUM *magnificari posse in corpore suo.* Vox *mihi* (εμοι) quum in principio sententiæ posita sit, *emphasin* habet. Est autem εμοι Dativus, ut ajunt, *judicii* 1); q. d. *nam quidquid sentiant alii*, *mihi vivere*. . . etc. » Gallicè vertas *pour moi.* In locutione *vivere Christus est*, vox *vivere* est orationis *Subjectum*, nam scribitur cum Articulo το ζῆν, vox verò *Christus* est *Prædicatum.* Scripsit ζῆν in formâ Temporis Præsentis, αποθανειν verò in formâ Aoristi, quia prius illud cogitat tanquam rem quæ durat, posterius verò tanquam aliquid quod præteriit 2). Sensus est: *Nam mihi quidem hoc est vivere, quod* CHRISTUM *unum cogitare, illi inservire, illum magnificare; atque ejus causâ mortem oppetivisse, lucrum putem, quia nempe sic mortalem hanc carnem exutus cum* CHRISTO *forem. Itaque, utrumvis acciderit, in gloriam* CHRISTI *illud cessurum est: nam si ulterius vivere mihi contingat, vitam meam omnem magnificando Christo impendere volo; si vero ejus causâ moriendum sit, mortem intrepide subeundo iterum* CHRISTUM *clarificabo.*

Dicat quis: at PAULUS videtur mortem considerare respectu habito non CHRISTI sed sui, quum dicat *mori lucrum*, suum utique ipsius lucrum in mente habens. Respondeo, mortem ab Apostolo hic vocari lucrum, quia ipse quidem mori potius quam vivere desiderabat (Cf. ℣. 23), ideoque si pro vita mors ei contingeret, mortem pro lucro quodam habiturus; quasi diceret: *mihi vivere* CHRISTUS *est; sed si ejus causâ mihi moriendum esset, id quidem gratius et acceptius mihi foret.* Sed dum dicit *gratius et acceptius mihi foret* CHRISTI *causâ mortem oppetere*, unà tacitò significat, sentire se ejusmodi morte CHRISTUM esse clarificandum.

℣. 22. *Quod si vivere in carne—ignoro).* Dixerat Apostolus se quidem mori malle quam vivere; at mox hanc *electionem* retractans, *sed quandoquidem*, inquit, *ulte-*

---

(1) Cf. WINER § 31. 3. b.

(2) Cf. KÜHNER II. § 445.

rius producere vitam, quandoquidem hoc mihi tantumdem est ac apostolici laboris proferre fructus, etiam ignoro utrum e duobus eligere debeam, vivere an mori.

Particula *ει* hic non ponit rem, dubiam sed vim habet *αιτιολογικην*, ita ut illud *ει δε* commode hic reddi possit *sed quandoquidem*. Sic Rom. VIII. 17 Apostolus dixit : *ει δε τεκνα και κληρονομοι*, ubi *το τεκνα ειναι* rem certam nec dubiam esse liquet ex testimonio Spiritûs Sancti, quod præcedit : *αυτο το Πνευμα συμμαρτυρει τῳ πνευματι ἡμων, ὁτι εσμεν τεκνα Θεου* [1]. Cf. etiam ℣. 31, et Act. IV. 9. Dicit Apostolus *vivere* IN CARNE, quia ob oculos habet *vitam*, *exuto corpore*, *cum Christo*. Pronomen Demonstrativum *τουτο* resumit *το ζῆν εν σαρκι*, quod est *Subjectum* hujus orationis, cujus *καρπος εργου prædicatum* est. Protasis est *ει — εργου*, Apodosis verò *και — γνωριζω*. In locutione *καρπος εργου*, vox *εργου* est Genitivus *subjecti* : fructus quos *affert* labor Apostolicus. *Και* hunc habet sensum : quandoquidem hoc est, *etiam* (*και*) illud est : *als dit zoo is, dan weet ik* OOK AL *niet wat ik kiezen zal*. *Τι* hic valet *ποτερον* [2]) *utrum*, scilicet *vivere an mori*.

℣. 23 — 24. Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum CHRISTO, multo magis melius : 24 permanere autem in carne, necessarium propter vos.

℣. 23 — 24. *Συνέχομαι δέ ἐκ τῶν δύο, τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι· πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον· 24 τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ, ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς.*

Paraphrasis : Teneor autem utrinque, quippe qui desidero migrare ex hac vita et esse cum CHRISTO, quod nempe longe melius est quam diutius permanere in hac carne ; sed posterius hoc ad vestram salutem magis est necessarium ; quo fit ut etiam inde tenear.

VARIANS LECTIO.

WETSTEIN post *πολλῳ* addidit *γαρ* « Addidi, inquit, Particulam *γαρ* ut necessariam, ex duorum veterum Codicum fide. » Particulam *γαρ* hic etiam in ordinem receperunt Græci Novi Testamenti editores GRIESBACH, VATER, GOESCHEN, et TISCHENDORF. Mihi verò hoc minime probatur, quum codices Mss. tantùm non omnes, et versiones antiquæ non exhibeant illam Particulam.

℣℣. 23. 24. Qui ambigit inter duo, utrum electurus sit, hic duplici desiderio quasi constrictus tenetur. In tali statu se versari PAULUS hic ℣℣. 23 et 24 significat. Vivere an mori eligam ignoro, inquit, sed et hinc et inde teneor (*συνεχομαι δε εκ των*

---

(1) Cf. HOOGEVEEN, *Doctr. Partic. ling. Gr.* p. 172. XII.

(2) Cf. WINER. § 25.

δυο) ; et *hinc* quidem, quippe qui desiderio meo (την επιθυμιαν) feror versùs (εις) excessum e vita et unionem cum Christo, quod nempe longe melius est quam ulterius permanere in hac carne ; sed hoc, scilicet me ulterius permanere in carne, magis quam illud necessarium est, ò Philippenses, ad vestram salutem ; quo fit ut etiam *inde* tenear. Itaque hæreo inter id quod mihi optabilius est, et id quod vobis magis est necessarium.

℣. 23. *Coarctor autem e duobus)*. In locutione εκ των δυο Articulus indicat duo *illa*, quæ supra (℣. 21) dixerat : το ζῆν et το αποθανειν. Est quod eum tenet (συνεχομαι *ik word vastgehouden*) ex (εκ) una parte, et est quod tenet ex altera. Pergit dicendo *cur* hinc teneatur (την επιθυμιαν — κρεισσον), et *cur* illinc (℣. 24 : το δε επιμενειν — ὑμας).

desiderium cum — Christo). Dicit cum Articulo την επιθυμιαν, ut Nostrates dicerent *het verlangen* pro *myn verlangen*. Præpositio εις hic plane valet Belgicum *naar* : *het verlangen hebben naar iets*. Elliptica dictio αναλυσαι a Græcis frequentatur in significatione *abeundi*, *migrandi* (e vita), *moriendi*, eoque sensu hic et ab Apostolo adhibetur ; nam quale αναλυσαι intelligat, explicat per epexegeticum και συν χριστῳ ειναι. Conferri potest Nostratium *opbreken*. Vulgata reddendo Aor. Act. αναλυσαι per Infinitivum Passivum *dissolvi*, rectè expressit ejus vocabuli *sensum*.

Bene hic Estius : « Ex hoc loco, inquit, clare ostenditur animas sanctorum ex hac vita sine peccato migrantium statim post mortem esse cum Christo. . . Quod observandum imprimis contra Anabaptistarum errorem, qui animas usque ad resurrectionem corporum dicunt sopore quodam pressas, nec in bonis esse, nec in malis. Nam si Paulus non statim erat futurus cum Christo sed denique post resurrectionem, cessabat causa propter quam desiderabat statim dissolvi, et non diutius in carne permanere. . . Quoniam vero hoc quod Apostolus dicit, *esse cum Christo*, significat beatitudinem nostram, scilicet *esse in bonis Christi* atque eorum esse participem, quorum principium est *Deum videre* (Cf. I Thess. IV) ; ..... hinc recte ac solide etiam ex hoc loco probatur *animas sanctorum ante generalem resurrectionem frui beata Dei visione*. . . . Ceterum quod hic dixit Apostolus *desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*, quomodo non pugnet cum eo quod dixit II Cor. V *nolumus exspoliari*, facile judicabit lector, si cogitet illic Apostolum loqui juxta desiderium naturale ; hic autem ex voluntate rationali, qua petebat esse cum Christo, quod sine dissolutione sui non posse fieri sciebat. »

multo magis melius). Si legas πολλῳ γαρ κρεισσον, pars hæc *causam* infert præcedentis desiderii ; si verò, demto γαρ, legas : πολλῳ μαλλον κρεισσον, verba illa sumenda sunt ad modum exclamationis (*zeer veel beter!*), quæ exprimat causam illius desiderii. Tacetur in illa sententia *Subjectum*, quod est αναλυσαι και συν Χριστῳ ειναι. Comparativa illa oratio *multo magis melius*, caret eo cum quo Comparatio instituitur ; sed supplendum est *quam permanere in carne* ex sequentibus. Intelligit autem Apostolus illud *multo magis melius* esse sibi, ut patet (℣. 24) ex Antithesi *propter vos*. Μαλλον cum Comparativo jungit sæpe Herodotus, notante Porto (*apud*

Raphel. *in Annotat.* ad h. 1.) ut *μαλλον αμεινον*, *satius est*, *μαλλον ολβιωτερος*, *felicior*, *μαλλον κερδαλεωτερον*, *utilius*.

℣. 24. *permanere — propter vos)*. *Επιμενειν* Interpres noster scite reddidit permanere ob Præpositionem *επι*. Confer Nostratium ver*blyven*. Pro Positivo *necessarium*, Græce est Comparativus (*αναγκαιοτερον*) *magis necessarium*, scilicet *quam dissolvi et esse cum Christo*. Ex quo patet Comparativum hunc rei non satis convenire; nam *dissolvi et esse cum Christo* Paulo *melius* quidem est quam *permanere in carne*, sed non est ipsi *nesessarium*. Sentit Apostolus, ut monet S. Augustinus (apud Estium ad h. 1.) e duobus se coarctari, quorum alterum desideret, alterum verò necessarium judicet, non tamen desideret. Dum dicit *propter vos*, i. e. propter vestram salutem, non intelligit vitam suam impendendam Philippensium tantùm saluti, ut alios fideles excludat, sed Philippenses solos *nominat;* in quo præcipui cujusdam sui erga eos amoris significatio est.

℣. 25—26. Et hoc confidens scio quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei: 26 ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.

℣. 25—26. *Καὶ τοῦτο πεποιθὼς, οἶδα ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως,* 26 *ἵνα τὸ καύχημα ὑμῶν περισσεύῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐν ἐμοὶ, διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πάλιν πρὸς ὑμᾶς.*

Paraphrasis: Et quum hoc mihi persuasum sit, satis scio mansurum me esse in vita et vobiscum omnibus permansurum ad vestrum in disciplina Christiana profectum, et ad augendum fidei vestræ gaudium, ut in me ministro per iteratum meum ad vos adventum habeatis, quo abundet in Christo vestra gloriandi materies.

℣. 25. *Et hoc — vobis)*. *Τουτο* junge cnm *πεποιθως*, non vero cum *οιδα*. De voce *πεποιθως* vide quæ notavimus supra ad ℣. 6. Est autem *πεποιθως* hic, ut illic, sumendum de *morali*, ut ajunt, *certitudine*; reddi potest, resoluto Participio in Verbum Finitum, *et quum hoc mihi persuasum sit*. Cum dicit *scio*, scientiam intelligit non talem quæ falli nequeat, sed eam quæ habeatur ex probabili conjectura. Neque enim scientia hæc in alio nitebatur nisi in illa *persuasione;* et modò (℣. 20) tamquam dubius dixerat *sive per vitam, sive per mortem;* et rursum (℣. 22) *quid eligam ignoro*, et infra (Cap. II. 17) pariter dubius loquitur: *sed et si immolor*, inquit, *supra sacrificium*. De eo verò, utrum nempe Apostolus hac sua opinione falsus fuerit nec-ne, vide quæ diximus in Prolegomenis § 7. *Manebo*, (*μενῶ*) opponitur præcedenti *αναλυσαι* (*abire*); quod sequitur *συμπαραμενῶ πασιν ὑμιν* (Vulg. *permanebo*), id præcedentis *μενω* repetitio est amoris plena.

ad profectum vestrum et gaudium fidei). His verbis Apostolus significat *quem in finem* diutius in vita permansurus sit; hic autem finis est, Philippensium major in

dies in Christiana disciplina progressus. *Et gaudium fidei.* Genitivus της πιστεως est Genitivus *Subjecti* sive *Causæ:* gaudium quod fides vestra vobis parit. Gaudium autem intelligit *spirituale* illud quod ex professione Religionis Christianæ proficiscitur. Obstat Pronomen ὑμων quominus putem Genitivum της πιστεως etiam ad præcedentem προκοπην esse referendum. Accedit, Genitivum της πιστεως si ad προκοπην referretur, necessario habendum fore pro Genitivo *objecti*, adeoque Genitivum illum fore simul Genitivum et *subjecti* et *objecti*, quod nescio an nonnumquam fieri aliquo exemplo probari possit. Vox προκοπη absolute ponitur etiam in I ad Timoth. IV. 15.

℣.26. *ut gratulatio vestra).* Quod modò dixerat, *ad augendum gaudium quod vobis ex fide vestra proficiscitur*, illud hic explicatiùs repetit. Ergo ut supra (℣. 25) Præpositio εις, ita hic Particula ἱνα inducit *finem* ob quem *mansurus sit et permansurus cum omnibus illis.* Καυχημα hìc intelligo *gaudium*, quod se exserat in *gloriando.* Pro Hebraico חֶדְוָה quod *gaudium* notat, LXX scripserunt καυχημα I Paralip. XVI.

Interpres noster vocem καυχημα eodem sensu, quo nos, sumsisse videtur; nam quamquam vertit *ut gratulatio vestra*, non ideò tamen putandus est hoc loco aliam vocem quam καυχημα legisse, quum hìc nulla prorsus in Codd. Mss. occurrat lectionis varietas; sed ut dixi, voci καυχημα notionem *gaudii* sive *lætitiæ* subjecerit. Et vero vox *gratulatio* docente Facciolati (in Lexic.) *etiam est universim lætitia, quæ cum alio capitur.* »

abundet in Christo Jesu, in me per meum adventum iterum ad vos). In phrasi εν Χριστω Ιησου, εν εμοι, Præpositio εν tam priori quam posteriori loco posita a Verbo περισσευη pendet, sed non eodem sensu in utroque loco sumenda est. Nam quod dicitur εν Χριστῳ Ιησου, eo indicatur veluti elementum, in quo constitutis obtingere poterit gloriabundi illius gaudii abundantia. Nota voces εν Χριστῳ Ιησου jungendas esse non cum voce καυχημα, sed cum voce περισσευη. In phrasi verò εν εμοι, Præpositio εν dicta est de *instrumento quo*, ut Matth. IX. 34, et I Cor. VII. 14. Instrumentum hoc erit Paulus (εν εμοι), nam *per meum*, inquit, *adventum iterum ad vos*, h. e. per iteratum meum ad vos adventum. Adverbium παλιν quod cum voce παρουσιας jungendum est, Adjectivi vim hic habet [1]. Vox παρουσια proprie notat *præsentiam*, ut I Cor. XVI. 17, sed in usu valet etiam *adventum*, ut I. Cor. XV. 23, et passim. Atque eo sensu vox παρουσια in præsenti loco sumenda est, ut patet ex adjecto προς ὑμας.

℣. 27-28. Tantum dignè Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero, et videro vos, sive absens

℣. 27—28. Μόνον ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθε, ἵνα, εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν

Paraphrasis. Vitam solummodò agite dignam Religione quam profitemini; ut sive cum venero et videro

(1) Cf. Viger. Cap. VII. XIV, in nota.

(2) Cf. *Thesaur.* H. Stephani ad voc. πάρειμι.

audiam de vobis quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii : 28 et in nullo terreamini ab adversariis : quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo :

ὑμᾶς, εἴτε ἀπών, ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν, ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου, 28 καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων· ἥτις αὐτοῖς μέν ἐστιν ἔνδειξις ἀπωλείας, ὑμῖν δὲ σωτηρίας, καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ·

vos sive absens sim, hoc audiam de vobis, scilicet quod perseveratis in servanda concordia, uno omnes animo mecum concertantes pro Religione Christianâ, et in nulla prorsus re consternare vos patientes ab adversariis; quod vos persequuntur id illis quidem est indicium futuri interitûs, vobis verò salutis aliquando obtinendæ; et hæc vestræ salutis elaboratio non vobis ipsis sed Deo accepta referenda est;

℣. 27. *Tantum dignè Evangelio Christi conversamini).* Orationem suam Apostolus hic flectit ad exhortationem, quam orditur a commonendo eos universim, ut vitam agant verè Christianam. Generali vero huic monito annectit speciale de servanda animorum concordia, quod potissimum intendebat. Vox *tantùm* (μονον) inservit transitioni, quasi diceret : interim (*en attendant*) hoc unum velim curetis, hoc unum a vobis peto, ut scilicet conversemini, *etc.* Πολιτευεσθαι dicitur is qui rempublicam administrat et gubernat, sive qui reipublicæ gubernacula tenet; idem Verbum adhibetur etiam de privatis hominibus, qui in republica versantur et ejus legibus atque institutis vivunt; utrumque allatis exemplis docet Henr. Stephanus (in suo *Thesauro Linguæ Græcæ* ad vocem πολιτευω). Sed neuter ejus verbi significatus in præsentem locum quadrat. Ast, quod idem observat, πολιτευεσθαι nonnunquam respondet quoque Gallico *se gouverner*, ut cum dicunt *se gouverner à sa fantaisie*, quo sensu πολιτευεσθαι idem valet quod *vivere, vitam instituere*, veluti in hoc Gennadii (apud *H. Stephanum* l. c.): και επολιτευετο ἑκαστος κατα τας επιθυμιας, ου κατα τον Θεον νομον [2]. Atque hoc sensu πολιτευεσθαι hic sumendum esse satis patet; ut adeo Interpres noster scite scripserit *conversamini;* nam *conversari* pro vivere sive *certam vivendi rationem tenere* dicebant Latini, ut Ulp. *Dig.* 1, 16. 19 : « Proconsul potest comminari et terrere filium a patre oblatum, qui non, ut oportet, conversari dicatur 2). » In eadem significatione Græci adhibebant suum αναστρεφεσθαι. Monet ergo Apostolus Philippenses suos, *ut Christianæ Religioni convenienter* vivant, h. e. ad normam legis Christianæ vitam suam instituant.

ut sive cum venero et videro vos, sive absens, audiam de vobis quia statis).

---

(1) Alia exempla videsis in Suiceri *Thesauro*, ad vocem πολιτευομαι.

(2) Apud Facciolati, in suo *Lexic.* ad h. v.

Verba hæc ita componenda sunt, ac si scriptum esset: *ut audiam, sive cum venero et videro vos sive absens, stare vos*, etc. Nam cur illud *audiam* ad *absentem* tantùm referamus? Poterat enim etiam *præsens* Philippensibus, et *quamvis præsens*, de rebus ipsorum *audire* et ab Episcopo et presbyteris eorum certior fieri. Itaque non est cur Pauli oratio hic imperfecta dicatur.

ut audiam de vobis quia statis, etc.). Gr. *ἱνα ακουσω τα περι ὑμων, ὁτι στηκετε, κ. τ. λ.* Vulgata verbum *ακουσω* junxit cum vocibus *ὁτι στηκετε*, illa vero intermedias *τα περι ὑμων*, pro *absolute* positis habuisse videtur. Idem dicimus de Syro Interprete; sic enim habet:

ܕܐܢ ܐܬܐ ܐܚܙܝܟܘܢ ܘܐܢ ܪܚܝܩ ܐܢܐ. ܐܫܡܥ ܥܠܝܟܘܢ. ܕܩܝܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܒܚܕܐ ܪܘܚ.

h. e. *ut sive veniam vos visurus, sive absens sim, audiam de vobis, quod statis in uno spiritu.* Conjecerim utrumque Interpretem, voce *τα* demtâ, legisse *ἱνα... ακουσω περι ὑμων*, si illud *τα* ab antiquo aliquo codice abesset; liberius ergo uterque transtulerit.

Et verò necesse non est habere voces *τα περι ὑμων* pro *absolute* positis; possunt enim esse Verbi *ακουσω* *Accusativus objecti*, quod deinde exponatur per verba *ὁτι στηκετε*. Simili Syntaxi Paulus scripsit (II Cor. XII. 34) *οιδα τον τοιουτον ανθρωπον ὁτι ἡρπαγη*. Cf. etiam Marc. XII. 34. Jo. XI. 31.

quod statis in uno spiritu unanimes). Vox *unanimes* jungenda est sequentibus: *collaborantes fidei Evangelii*; idque Græca satis indicant; nam si eam cum præcedentibus jungere voluisset Apostolus, additâ conjunctione *και*, scripsisset *εν ἑνι πνευματι και μιᾳ ψυχῃ*. Cf. Ephes. IV. 3. Accedit, meâ quidem sententiâ, orationis concinnitatem postulare ut sequenti *συναθλουντες* jungatur aliquid, quod respondeat illi *εν ἑνι πνευματι*. *Spiritus* qui hic dicitur sine *Articulo* (*εν ἑνι πνευματι*) intelligendus est non *spiritus Sanctus*, sed humanus spiritus, ut patet ex sequenti *μιᾳ ψυχῃ*, quo Apostolus explicat quid per *ἑν πνευμα* voluerit. *Stare* (*στηκειν*) hic adhibetur de continuatione statûs in quo quis jam est, idemque valet quod *perstare, persistere, constanter permanere*, eoque sensu etiam I Thess. III. 8. verbum *στηκειν* occurrit. Vult ergo Apostolus ut *constantes sint in servanda animorum concordia.*

unanimes collaborantes fidei Evangelii). Dativus *μιᾳ ψυχῃ* Dativus *instrumenti* est; neque enim pendet a præcedente Præpositione *εν*. Vox *συναθλουντες* (h. e. *concertantes*) hic metaphorica est, ducta imagine a re militari. *Πιστει* est Dativus *commodi*, ut si Gallice dicas *pour la foi*. Quale *certamen* hic intelligendum sit, dicimus infrà ad ℣. 30.

℣. 28. *et in nullo terreamini ab adversariis).* Eos intelligit sive Gentiles sive Judæos qui Christianæ Religioni infensi Christianos quoquo tandem modo persequebantur; ex contexta oratione (℣. 30 et ℣. 7) hoc colligitur. Pro Latino *terreamini* Græcè est Participium *μη πτυρομενοι*, quod, pariter ac præcedens *συναθλουντες*, pendet a Verbo Finito (℣. 27) *στηκετε*. Vox *πτυρεσθαι* peculiariter dicitur de equis consternatis,

ut in hoc Plutarchi (apud H. Steph.): *παραλογως εντρομου του ἱππου γενομένου, και πτυρεντος εξεπεσεν.* Hinc ad homines transfertur qui se consternari, hoc est, terreri patiuntur, v. g. milites in acie stantes. *In nullo* (*εν μηδενι* scil. *πραγματι*) h. e. nullâ re, *ob nullam rem;* Præpositio *εν* hic referenda est vel ad *instrumentum quo* quid fit, ut Luc. XXII. 49: *ει παταξομεν εν μαχαιρα* (Vulg. *si percutimus in gladio*), 2 Petri II. 16: *εν ανθρωπου φωνη φθεγξαμενος* (Vulg. *hominis voce loquens*); vel, quod malim, subjicienda illi est notio Præpositionis *coram* 1), ut I Cor. VI. 2; confer Nostratium: *laat u* voor *niets bang maken.* Participium *πτυρομενοι* exprimit *quales* esse debeant *συναθλουντες*, ut adeò hujus Participii alterum Participium *πτυρομενοι* veluti Adverbium sit. *Μηδενι* post *μη* intendit vim negationis, ut sit hic *in nulla plane re*; Belgice: *voor niets hoegenaamd.*

quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis). Relativum *ἡτις logice* quidem referendum est ad oppugnationem sive vexationem aut insectationem, quæ ex præcedenti illo *in nullo terreamini ab adversariis* intelligitur; *grammatice* autem pertinet ad sequens *ενδειξις* (Vulg. *causa*). Nimirum fit nonnumquam ut Relativum Pronomen Genus habeat non præcedentis Nominis, cujus locum tenet et ad quod refertur, sed sequentis 2). Ita Paulus qui ad Ephesios (I. 22. 23) scripserat: *αυτον εδωκε κεφαλην τη εκκλησια, ἡτις εστι το σωμα αυτου*, in priore ad Timoth. III. 15 scribit: *πως δει εν οικῳ Θεου αναστρεφεσθαι, ἡτις εστιν εκκλησια.* Cf. Marc. XV. 16, et hoc ad Ephes. III. 13: *εν ταις θλιψεσι μου ὑπερ ὑμων, ἡτις εστι δοξα ὑμων*, in quo *attractio* simul est et Generis et Numeri. Non est autem omnino idem *ἡτις* ac *ἡ*, sed hoc interest, quod *ἡτις* connotat id quod *prædicatur* de *subjecto* tanquam ad ipsam hujus idolem pertinens. Æquivalet Nostratium *als welke*, et Latinorum *quippe quæ*, *utpote quæ* 3). Pro *causa* græce est *ενδειξις* (*indicatio*), quæ vox valet hic tantumdem ac *ενδειγμα* (Thess. I. 5) 4) *indicium*, *argumentum*, *documentum.* Tale vocabulum legitur etiam in antiqua Itala, ubi præsens locus sic redditur: *quæ est illis ostensio perditionis* 5). Victorinus videtur legisse *declaratio.* Interpres noster, vocem *ενδειξις* vertendo *causam,* non verbum verbo reddidit, sed *sensum* tantum vocabuli expressit; nimirum ex causa *ostenditur* effectus. Nam quod hic post Erasmum plures monuerunt interpretes, verbum *ενδειξαι* etiam sumi pro *facere,* etiamsi verum foret, tamen hic non esset ad rem. Obiter nota, perspicuè hic doceri dogma de merito bonorum operum.

et hoc a Deo). Supple *εστι.* Illud *τουτο* non est referendum ad sequentia, *ὁτι ὑμιν εχαρισθη κ. τ. λ.*, quod nonnemo suspicari possit, putans per illud *ὁτι*

---

(1) Vide Winer § 52. d.

(2) Videsis de ea construendi ratione, obvia etiam apud scriptores profanos, Winerum § 24. 3, Hermannum ad Viger. pag. 708., et imprimis Kühner. § 786. 3.

(3) Cf. Kühner. § 182. 5.

(4) Parallelus hic locus omnino conferendus est.

(5) Vide Sabatier.

induci expositionem præcedentis *τουτο*, sed, quemadmodum et Ephes. II. 8, referendum illud est ad præcedentia, et quidem ad vicinum *ὑμιν σωτηριας*. Sensus est : Quod patienter suffertis vexationem adversariorum Christianæ Religionis, id vobis indicium est salutis æternæ aliquando obtinendæ; *et hoc*, scilicet quod persecutionem patiendo vestram operamini salutem, *hoc a Deo est*; quasi diceret : hoc non vobis sed Deo acceptum referre debetis, utpote qui estis ipsi ad hoc præstandum solis vestris viribus sine divinæ gratiæ auxilio minime idonei.

Pergit dicendo *cur* hoc *a Deo* sit.

℣. 29 — 30. quia vobis donatum est pro CHRISTO, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini : 30 idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me. a)

℣. 29 — 30. *ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, οὐ μονόν τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν, 30 τὸν αὐτὸν ἀγῶνα ἔχοντες, οἷον ἴδετε ἐν ἐμοὶ καὶ νῦν ἀκούετε ἐν ἐμοί.*

Paraphrasis : Nam ex gratuito Dei dono vobis obtigit, non tantùm ut credatis in CHRISTUM, verùm etiam ut ejus causâ perferatis calamitates, utpote qui cum adversariis Christiani nominis tale habetis certamen, quale et olim me habentem vidistis et nunc auditis me iterum subeuntem.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Latino *audistis de me* Græce est *ακουετε εν εμοι* (*auditis in me*), quam lectionem exhibent ABCDEFGI, Minusculi, Versio Syriaca (ܫܡܥܝܬܘܢ *audientes vos*), THEODORETUS, OECUMENIUS, et THEOPHYLACTUS. Quare mihi standum esse videtur a lectione *ακουετε εν εμοι*, et contra lectionem *ηκουσατε περι εμου*, quæ non occurrit nisi in lectionibus Velesianis. Allegat quidem GOLDHAGEN pro lectione *ηκουσατε περι εμου* Codices Clar. et Germ. (hoc est D et E), sed in eo errasse videtur, quum istiusmodi lectionis varietatem codicum D et E nec BENGEL, nec WETSTEIN, nec MILLIUS, nec ceteri annotaverint. Suspicor GOLDHAGENIUM voluisse indicare *versionem latinam* Græci textûs Codicum *Claromontani* et *Sangermanensis;* nam uterque ille codex Græco-latinus est.

℣. 29. *quia vobis donatum est*}. Nam, inquit, vobis divinitùs concessum est, non tantum *το* credere in CHRISTUM, sed etiam *το* pati pro eo. Itaque docet, adversa illa tolerare atque ita sibimet causam salutis ponere, id ideò *a Deo esse*, quia *donum* Dei est, i. e. quia non fit nisi divinæ ejus gratiæ auxilio. Notionem, quam hic tribuimus Verbo *εχαρισθη* (Vulg. *donatum est*), contexta oratio postulat.

pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini). Est hìc oratio per incisum, *non solum ut in eum credatis*, interrupta, sed mox resumpta. Scilicet, volebat Apostolus solùm dicere *nam divinitùs vobis concessum est pro Christo pati;* sed cum scripsisset verba ὑμιν εχαρισθη το ὑπερ Χριστου, in mentem ejus incidit cogitatio hæc, quod etiam divinitùs illis donatum erat τὸ *credere in Christum;* quam sententiam quum hic pariter exprimere et alteri præmittere vellet, nondum absolutâ phrasi quam incœperat et quasi scripsisset solùm ὁτι ὑμιν εχαρισθη, pergit dicere ου μονον το εις αυτον πιστευειν· et jam alterum, quod prius unicum volebat, dicturus, addit: αλλα και το ὑπερ αυτου πασχειν. Quum verò scripsisset ου μονον, altera sententia priori illi nectenda erat per αλλα και. Poterat autem scribere ὑπερ αυτου, quia in interrupta phrasi jam expresserat Nomen (Χριστου), ad quod illud Demonstrativum (αυτου) erat referendum; sed Præpositio ὑπερ repetenda erat, quum præcedens Præpositio εις non conveniret; neque enim locutio πασχειν εις αυτον mentem Pauli expressisset.

Præclarè Theodoretus ad h. l. « Δωρα Θεου, inquit, κεκληκε και το πεστευσαι, και το λαμπρως αγωνισασθαι, ου το αυθαιρετον της γνωμης εκβαλλων, αλλα διδασκων ὡς αυτη καθ' ἑαυτην ἡ γνωμη, γεγυμνωμενη της χαριτος, ουδεν δυναται κατορθωσαι των αγαθων. Αμφοτερων γαρ χρεια, και της ἡμετερας προθυμιας, και της θειας επικουριας. Ουτε γαρ τοις την προθυμιαν ουκ εχουσιν επαρκει του Πνευματος ἡ χαρις, ουτ' αν παλιν ἡ προθυμια, ταυτης εστερημενη, της αρετης δυναται συναθροισαι τον πλουτον. h. e. » *Dona Dei vocavit, et credidisse, et splendide decertasse, non liberum tollens animi arbitrium, sed docens quod ipsa per se mens aut voluntas, gratiâ destituta, nihil boni possit recte facere. Utroque enim opus est, nempe et nostra animi promptitudine, et divino auxilio. Neque enim iis qui animi alacritatem non habent, sufficit gratia Spiritûs, nec rursus animi promta voluntas, si sit gratia destituta, potest virtutis divitias colligere.* »

℣. 30. *idem certamen habentes).* Gr. τον αυτον αγωνα εχοντες. Quum oratio per Participium continuetur, accuratior Grammatica postulasset εχουσιν, in Dativo Plurali; *apponitur* enim hoc Participium ad vocem ὑμιν (℣. 29). Est ergo hic agnoscendum *Anacoluthon*, qualia apud Paulum non raro occurrunt (v. g. Ephes. IV. 1. 2. Coloss. I. 10. et III. 16), et universim apud scriptores tam sacros quam profanos [1]. Participium εχοντες resolvas in verbum Finitum, vertendo *quippe qui habetis*; nam hæc pars *confirmat* quod præcesserat: *vobis donatum est pro Christo pati.* Quod dicit *idem certamen* (τον αυτον αγωνα), intellige *simile*, *tale*, ob similitudinem causæ; nam sequitur *quale* (οἷον). Sic Lucas VI. 38 dixit τῳ αυτῳ μετρῳ. Etiam Rom. IX. 21 εκ τȣ αυτου vertendum est *ex* eodem, quamquam ibi alia est *identitatis* ratio. Ceterum *certamen* vocat hic, per analogiam, ipsam illam malorum ab adversariis illatorum tole-

(1) Cf. Hermannum ad Viger. *De Idiot.* pag. 894 sqq. Winer § 64. 2. Kühner § 677 sqq.

rantiam; quæ scilicet sine certamine non erat, quum vexati quasi *certarent*, ne quando per impatientiam fracti, hostibus suis veluti victas darent manus. Eratque illud certamen simul etiam *certamen* quoddam pro fide *objective* sumptâ, h. e. pro Religione Christiana, eoque sensu accipi velim; quod supra (℣. 27) dixit Apostolus: *συναθλουντες τῃ πιστει του ευαγγελιου.*

quale et vidistis in me, et nunc audistis de me). Pro *audistis* græcè est, in Præsenti, *auditis* (*ακουετε*), quod præfero. Certamen Pauli, quod Philippenses ipsi *viderant*, illud intelligitur quod refertur in Act. Ap. XVI. 16-25, et Cf. I Thess. II. 1. Præpositio *in* (*εν εμοι*) hic tantumdem valet ac Nostratium *aan*, cum dicunt *aan my*, *aan myn persoon*; eoque modo Præpositio hæc passim reddenda est, v. g. Joh. XIII. 35, et I Cor. IV. 6 [1]. Certamen vero Pauli, quod *nunc audire* hic dicuntur Philippenses, carcerem intelligas, in quem Romæ hoc tempore erat conjectus. De quo certamine Apostolus dicere poterat, *nunc audiri* illud a Philippensibus, quia, quamquam jam antea (Cf. ℣. 12. sqq.) sparsa erat inter ipsos ejus rei notitia, necdum tamen de eâdem re audire desinebant. Et verò in ipsa hac epistola (℣, 7. 13) Paulus eâ de re cum Philippensibus suis quasi *præsens erat locutus;* et qui eam epistolam attulerat Epaphroditus, illius certaminis veluti testis ocularis, non paucas ejusdem retulerit circumstantias, quas Philippenses adhuc ignorarent. Itaque dici potest Tempus Præsens *ακουετε* hic includere Præteritum, uti fit sicubi sermo est de statu aut actu continuo; exemplo sit illud Lucæ 1. 34: *Πως εσται τουτο, επει ανδρα ου γινωσκω* [2]. Non putem interpretem nostrum in exemplari suo aliud legisse quam *ακουετε;* verùm *ακουετε* illud, Temporis quodammodo ancipitis, maluerit reddere *audistis* quam *auditis*. Græce non est *de me*, sed *in me*, *εν εμοι*, quod eodem modo intelligendum est, quo præcedens *in me*. Vulgata hic mentem quidem Pauli expressit, sed verba ejus non reddidit, minùs hic quam alibi fidus interpres. Lectio *περι εμου* occurrit inter *lectiones* Valesii, sed præterea in nullo Græco codice. Ad hæc, quum *εν εμοι* sit lectio difficilior, facile in eam ducor sententiam ut credam, pro *εν εμοι* ab aliquo librario substitutum fuisse *περι εμου*, quod facilius est intellectu. Attamen dicendum est, videri illud *περι εμου* jam lectum fuisse ab interprete Syro; vertit enim ܥܠܝ h. e. *de me*.

---

(1) Cf. Winer § 52. a. 3.

(2) Cf. Winer § 41 c. Hermann. ad Viger. pag. 214. not. 4. Kühner § 435.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum. *Incœptam (* suprà *Cap. I.* ℣. 27*) ad concordiam exhortationem Apostolus, post digressionem (ibid.* ℣℣. 28. 29. 30*), jam prosequitur, adhibens argumenta ad commovendos animos et ad suadendum aptissima* (℣. 1–3); *et quum concordiæ et mutuo fovendo amori quammaxime obstent tum vitiosa æmulatio et gloriæ studium, tum etiam vitium illud, quo quis est ad rem suam plus justo attentior, hinc Philippenses suos monet Apostolus, ut ne superbe se efferant sed modeste de se existiment, et eam quoque colant virtutem, quæ sita est in quadam privatæ utilitatis in agendo oblivione* (3–5); *quam monitionem corroborat per exemplum* Jesu Christi, qui cum in forma Dei esset, *sui veluti oblitus*, semetipsum exinaniverat, formam servi acceperat, *humanam assumpserat naturam, in eâque perfectissimum præbuerat demissi animi exemplum, quum non dubitasset obedire præcepto Dei Patris maxime arduo de subeunda morte ignominiosissima, id est, in patibulo crucis* (5—9). *Et ut etiam spe præmii eos excitet ad hoc exemplum imitandum, dicere pergit Apostolus de altissima gloria, quam* Jesus Christus *consecutus est ob profundissimam illam humilitatem.* (9—12). *Hinc concludit adhortando Philippenses, ut sicut semper hucusque,* Christum *imitati, Deo per ministrum suum præcipienti obediverant, ita porrò studerent per obedientiam Deo præstitam sollicitè suam perficere salutem* (12); *et quo alacrius hoc faciant animos illis addit, in mentem eorum revocando, habere eos ad hoc præstandum Deum adjutorem* (13); *eosque monet ut quæ salutis suæ perficiendæ causâ præstituri essent, ea præstent sine murmurationibus et hæsitationibus, ad hoc ut irreprehensibiles, immaculati filii Dei sint*, ad gloriam meam, *inquit*, in diem Christi, *h. e. unde fiet ut et ipse nanciscar in diem* Christi *causam gloriandi, me non inanem operam in vobis posuisse* (14—17). *Quod modò dixerat Apostolus*, ut nanciscar in diem Christi causam de vobis gloriandi, *eo innuerat sperare se, fore ut non ita brevi vitæ finem faceret, sed libertati restitutus satis diu vitam producere posset, ut ipse superstes Philippenses*

videre posset tales, quales hic eos optat. Sed quum ea spes non esset sine metu, et fieri posset ut brevi a Nerone *occideretur, hinc ponendo contrarium ejus quod modò innuerat, ita dicere pergit : si tamen, inquit, mihi non contingat tam diu vitam producere sed ex his vinculis ducar ad mortem, non contristor, sed gaudeo et vobis omnibus hâc de re congratulor, et vos vicissim de eo gaudeatis mihique congratulemini* (17—19). *Existimat tamen se ex suis vinculis brevi esse liberandum ; quare illis significat, se, quamprimum rerum suarum exitum viderit, quod brevi fore sperat, missurum ad eos esse* Timotheum, *quem eximia laude ornat, et addit, confidere se fore ut et ipse brevi eos invisere possit* (19—25); *sed, etsi spes sit fore ut et* Timotheus *et ipse brevi ad eos veniant, tamen se necessarium duxisse Epaphroditum nunc mittere Philippos ; quem cur maturius ad eos remittat causam exponit, eumdemque maximis laudibus extollit atque illis commendat* (25—30).

℣. 1–4. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas Spiritûs, si qua viscera miserationis : 2 implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, 3 nihil per contentionem, neque per inanem gloriam : sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, 4 non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.

℣. 1—3. *Εἴ τις οὖν παράκλησις ἐν Χριστῷ, εἴ τι παραμύθιον ἀγάπης, εἴ τις κοινωνία Πνεύματος, εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοὶ,* 2 *πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες·* 3 *μηδὲν κατὰ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν· μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε, ἀλλὰ καὶ τὸ ἑτέρων ἕκαστος.*

Paraphrasis. Ergo, Philippenses, si quis vobis est affectus Christianus, quo moveamini ad erigendos afflictos ; si quod solatium, quale non solet fraterna charitas negare ærumnosis, a vobis exspectari potest ; si quod est inter me et vos Spiritûs sancti consortium ; si qua demum sunt vobis viscera misericordiæ, quæso, ad explendum gaudium quod ex vobis capio, hoc agite : animorum inter vos colite concordiam ; æquali amore invicem vos mutuò prosequamini; unum idemque velitis atque nolitis, quasi non nisi anima una essetis omnes ; nihil faciatis ex vitiosâ æmulatione aut vanæ gloriæ studio, sed per animi demissionem quisque alium existimet se meliorem ; nec suam tantùm, sed et aliorum quoque utilitatem et commodum quisque spectet.

VARIANS LECTIO.

Versiculus quartus ex præstantissimorum codicum auctoritate sic legendus est : *μη τα ἑαυτων ἑκαστοι σκοπουντες, αλλα και τα ἑτερων ἑκαστοι*, quam lectionem etiam Vulgata nostra exhibet, nisi quod videatur non legisse Particulam *και* post *αλλα*.

Protasis hujus orationis continetur ỳ. 1, Apodosis vero ỳỳ. 2 et 3.

ỳ. 1. *Si qua ergo)*. Particula conclusiva *ergo* (*ουν*), quamquam in Protasi ponitur, logice tamen ad Apodosin pertinet, ut Rom. XII. 20. Incœptam supra (Cap. I, ỳ. 27) ad concordiam exhortationem Apostolus post digressionem (ibid. ỳỳ. 28. 29. 30) prosequitur. Protasis continet quatuor rationes, per quas Apostolus Philippenses obtestatur ut faciant id quod dicitur in Apodosi. Forma orationis hypothetica ejusdem gravitatem auget.

si qua consolatio in Christo). Scilicet *vobis est ;* q. d. si quis vobis est animi affectus *christianus*, quo moveamini ad erigendos afflictos. Vox *παρακλησις* a Græcis antiquioribus de *exhortatione* dicebatur; sed ex Hellenistarum loquendi consuetudine [1] eadem vox adhibebatur etiam ad notandum actum *consolandi*, *recreandi*, *erigendi afflictos;* eoque sensu in præsenti loco sumenda est ; nam quæ hoc versiculo dicuntur, omnia spectant Philippenses, ut patet ex contexta oratione : *adimplete*. Atqui profectò *exhortationem* Paulus a suis Philippensibus non expetiverit. Quod vero additur *in Christo*, eo describitur ille animi affectus *ut Christianus*, hoc est, ut talis, quo moveri solent illi qui sunt *in Christo*. Cf. quæ de formula *in Christo* notavimus supra ad I. 1. pag. 12.

si quod solatium charitatis). Bene Estius : « Si quod solatium ex charitate profectum a vobis expectari potest. » Nam *αγαπης* est Genitivus *subjecti* sive *causæ :* solatium quod fraterna caritas dare solet afflictis.

si qua societas Spiritûs). *Πνευματος* est Genitivus *objecti*. Qui spiritum *humanum* hic intelligunt, verba sic interpretantur : *si mecum estis unus spiritus per consensum et charitatem*. Verùm, ut mihi quidem videtur, locutio *κοινωνια Πνευματος* si adhibeatur de animorum concordia, *logice* vitiosa sit ; quare non putem Apostolum hoc sibi voluisse. Itaque *κοινωνιαν Πνευματος* dictam putem de *participatione ejusdem Spiritûs sancti*, quasi diceret Apostolus ; *si quod est inter nos consortium Spiritûs sancti, quo nos inter nos unimur omnes, tamquam totidem membra unius corporis;* vide Rom. XII. 4. 5. I Cor. XII. 12. 28. Ephes. IV. 25, et porrò confer illud ex II. Cor. XIII 13 : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei et communicatio sancti Spiritûs*

---

(1) Cf. Winer, § 2; et Knapp, *De Spiritu sancto et Christo Paracletis ; item de varia potestate vocabulorum παρακαλειν, παρακλησις, παρακλητος* Pagg. 117. sqq. Tom. 1. In *Scriptis* ejus *varii argumenti*, editis Halis Saxonum. 1823.

(κοινωνια του ἁγιου Πνευματος) *sit cum omnibus vobis.* Πνευμα etiam sine Articulo de Spiritu Sancto dicitur, ut v. g. Jo. VII. 39.— I Cor. II. 4. 13. — II Thessal. II. 13. [1]

si qua viscera miserationis). Græce legitur : *si qua viscera et miserationes.* Est Hendiadys, quod interpretem nostrum non fugit. Sensus est : Si qua sunt vobis viscera misericordiæ ; si quam vultis erga me misericordiam ostendere.

℣. 2. *implete gaudium meum).* Cor humanum concipi potest veluti mensura quædam capax gaudii. Magno jam gaudio Apostolus ex Philippensibus suis afficiebatur, sed vult ut cor ejus veluti mensuram quamdam gaudio prorsùs *impleant.* Et pergit dicere *quo modo* id ab ipsis velit præstari ; ubi observandum est *modum hunc* ab Apostolo cogitari tamquam *propositum* aut *finem* aliquem attingendum, seu, ut græce dicam, τελικως. Hinc dicit *ut* (ἱνα) *idem sapiatis.* Eodem modo Particula hæc intelligi debet in hoc S. Joannis (Ep. I Cap. III. 1) : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut* (ἱνα) *filii Dei nominemur et simus.* Pariter in hoc Apocalypseos, Cap. IX. 20 : *Et cæteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut* (ἱνα) *non adorarent dæmonia, et simulacra aurea et argentea* [2].

ut idem sapiatis). Causam nullam video cur illud *idem sentire* (το αυτο φρονειν) dictum putem de consensu in fide et dogmatibus ; itaque illud refero ad *consensum* sive concordiam animorum (*eensgezindheid*) ; confer II Cor. XIII. 11, ubi legitur το αυτο φρονειτε, ειρηνευετε, h. e. *pacem colite, concordiæ studete*, quorum posterius prioris veluti interpretatio est. Cf. etiam Rom. XII. 18.

eamdem charitatem habentes). h. e. æquali amore invicem vos prosequentes, seu, ut S. Chrysostomus interpretatur : « *Æque et amare et amari ; noli cum magna aliorum in te charitate fruaris, minorem ipsis præstare.* [3] »

unanimes, idipsum sentientes). h. e. quasi omnes non nisi una essetis anima (Cf. Act. Ap. IV. 32), *unum* idemque (το ἑν) volentes aut nolentes. Propter additum το ἑν idem verbum φρονειν posteriori hoc loco notionem habet minus latam quam priori.

℣℣. 3. 4. Concordiæ et mutuo amori fovendo obstant tum vitium illud quo quis est ad rem suam plus justo attentior, tum etiam vitiosa ambitio studiumque vanæ gloriæ ; foventur autem concordia et mutuus amor eâ animi virtute quæ superbiæ vitio opponitur remotaque est a vitiosa æmulatione, et eâ quoque virtute, quæ sita est in quadam privatæ utilitatis in agendo oblivione. Itaque Apostolus Philippenses monet (℣. 3. 4) ut has virtutes colant, ab illis vero vitiis declinent.

---

(1) Cf. Winer. § 18.

(2) Cf. Winer § 57.

(3) Hom. v. in Ep. ad Philipp. : Ὁμοιως και φιλειν και φιλεισθαι. Μη συ μεν απολαυε της πολλης (scil. αγαπης), ελαττονα δε τοις αλλοις παρεχε.

ỹ. 3. *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam).* Ex contextâ oratione (ỹỹ. 3, 4) supple ποιουντες. Præpositio κατα cum quarto Casu hic, ut sæpe alibi, adhibetur de norma *secundum* (κατα) *quam* quid fit. Neque εριθεια (*vitiosa æmulatio*), neque κενοδοξια (*vanæ gloriæ studium*) debet esse norma sive regula illius φρονουν Philippensium, h. e. του velle aut nolle ipsorum.

sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes). Græce est, sine Præpositione, τη ταπεινοφροσυνη, quod est Dativus *instrumenti.* Vox ταπεινοφροσυνη, utpote nomen *abstractæ*, ut vocant, *significationis*, Articulum quidem recipere nequit; sed hic ταπεινοφροσυνη ex varia virtutum specie veluti desumta, *definite* tamquam *hæc species*, *hæc virtus* cogitatur. Nostrates similiter dicerent *door* DE *nederigheid* [1]. Interpres noster post Comparativum *superiores*, scripsit *sibi* pro *se*; nescio cur. Sensus est: sed ex animi demissione quisque alium se meliorem existimet.

ỹ. 4. *non quæ sua sunt singuli considerantes).* Pro *considerantes* græce est σκοπουντες, q. d. veluti scopum quemdam ob oculos habentes.

sed ea, quæ aliorum). Græce: *sed* ETIAM (και) *ea quæ aliorum.* Quam lectionem præferendam esse diximus. Antithesis postulasset ut scriberetur ου μονον—αλλα και, sed etiam apud scriptores profanos tam Græcos quam Latinos pariter occurrit istiusmodi loquendi modus minus accuratus [2]. Sensus est: *quisque non sua tantùm, sed etiam aliorum commoda respiciat*, *curet.* Comparanda non sunt quæ leguntur I Cor. X. 24 et 33, quia horum locorum alia ratio est.

ỹ. 5—8. hoc enim sentite in vobis, quod et in CHRISTO JESU: 6 qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: 7 sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. 8 Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

ỹ. 5—8. Τοῦτο γὰρ [a]) φρονείσθω [b]) ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, 6 ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, 7 ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. 8 Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ.

Paraphrasis. Nam ejusmodi affectus debet esse in animis vestris, qualis fuit in CHRISTO JESU; qui dum in forma Dei erat, non cupide tenaciterque retinuit suam illam cum Deo Patre æqualitatem, sed, assumptâ servi formâ, semet ipse depressit, humanam indutus naturam, et tamquam verus homo in omnibus deprehensus. Humiliavit semetipsum Deo Patri obedientem se præstando eò usque, ut ne mori quidem recusaverit, idque morte crucis.

(1) Cf. KÜHNER § 483.

(2) Cf. WINER § 59. 8.

VARIANS LECTIO.

a) ℣. 1. Tischendorf in suâ recensione textûs Græci N. T. omisit Particulam γαρ post τουτο, quod mihi non probatur. Omittunt quidem illam Particulam ABC, Minusculi nonnulli, antiquæ versiones quædam, et SS. Patres Cyrillus, Athanasius, aliique; sed contra, legitur γαρ in Codd. DEFGHI, in reliquis Minusculis, in Codd. Mosqq. a Matthæi collatis, in antiqua versione Itala et nostra Vulgata; et ex Antiquis Particulam illam legerunt Theodoretus, Theophylactus, et Oecumenius.

b) Pro φρονεισθω, *sentiatur*, quod est in editione Complutensi, legendum est φρονειτε, *sentite*, quam lectionem commendat codicum ABCDEFG auctoritas; commendant etiam versiones antiquæ, Itala, Syriaca, et Vulgata. Lectio φρονειτε eo etiam titulo commendatur, quod alterâ difficilior est.

℣. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu).* Præcedentem (℣℣. 3 et 4) monitionem de illis, quas dixi, virtutibus colendis, Apostolus corroborat per exemplum a Jesu Christo nobis datum; et *quia* id nobis imitandum est, *ideò* Apostolus orationem suam continuat per Particulam *enim* (γαρ). Ergo pergit dicere: nam hoc sentiatis *in vobis*, h. e. *in animis vestris*, quod in Christo Jesu *sentiebatur*. — Illud *sentiebatur* (εφρονηθη) mente supplendum est απο του κοινου. Itaque sensus est: nam is affectus debet esse in animis vestris, qui fuit in Christo Jesu. — Particala και hic redundat, ut sæpe alibi in oratione *comparativâ* [1].

℣. 6. *qui).* Scil. Jesus Christus (℣. 5), de quo Apostolus deinceps (℣. 6—12) *prædicat ea* quæ sunt naturæ divinæ, et ea quæ humanæ; ergo eumdem novit et Deum et hominem; ergo *subjectum* quod per Relativum ὅς inducitur est *Deus — homo*.

cum in forma Dei esset). Græce est Participium ὑπαρχων, quod Interpres noster resolvit in Verbum Finitum *cum esset;* ubi *cum* non habendum est pro *causali*; nihil enim hic dicitur cujus causa sit in illo *esse in forma Dei;* sed est cum *temporale*. Malim autem vertere *dum* (terwijl) *erat*. Sic quæ leguntur in Epistola ad Galatas (Cap. II. 14): *Ει συ Ιουδαιος ὑπαρχων, εθνικως ζῇς*, verterim: *Si tu dum Judæus es, gentiliter vivis*; et hæc II Petri. II. 19.: *Ελευθεριαν αυτοις επαγγελλομενοι, αυτοι δουλοι ὑπαρχοντες της φθορας*, latine reddiderim: *Libertatem illis promittentes, dum ipsi servi sunt corruptionis.* Verba ὑπαρχειν et ειναι differunt sic, ut ειναι simpliciter *esse*, ὑπαρχειν verò *conditionem* aliquam denotet, quâ quis esse cogitatur [2].

forma). Vocem μορφη hoc loco Petavius intelligit *naturam*. « Formam, inquit,

(1) Legesis quæ ea de re scripsimus in nostro libello, cui titulus: *Dissertatio theologica, quâ sententiam vulgo receptam, esse S. Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti, demonstrare conatur* J. Th. Beelen. Lovanii 1845.

(2) Vide Tittmann *de Synonymis in N. T.* p. 193.

hic pro *naturâ* sumi perspicuum est. [1] » Affirmat idem, *formæ* vocabulum plerumque *naturam* ipsam significare [2]. Affirmat, inquam, sed rem minime probat. Fuêre tamen qui allatis exemplis probare conati sunt, vocem μορφη etiam habere notionem *naturæ*, atque hic illic vocem μορφη dictam esse pro φυσις et ουσια. Sed et paucissima sunt exempla, quæ adhuc excitare potuerunt, et talia, ut neutiquam mihi videantur rem probare [3]. Quidquid sit, certe ad præsentem locum quod attinet, nolim docere cum Petavio vocem μορφη ibi dictam esse de *naturâ*; 1° quia certò probari nequit hanc notionem illi voci umquam fuisse subjectam; 2° quia si μορφη Θεου sit *natura Dei*, id quod sequitur (ỷ. 7) μορφη δουλου erit *natura servi;* atqui *hominis* quidem dicitur *natura*, verùm *servi* non dicitur *natura*, sed *status* sive *conditio;* 3° quia voces ὁμοιωμα et σχημα in antithesi (ỷ. 7) adhibitæ, suadent ut similem notionem subjiciamus voci μορφη, quæ in Protasi occurrit. Itaque, ut dixi, non putem voci μορφη hic tribui posse notionem *naturæ* sive *essentiæ* (φυσις, ουσια).

Adnoto S. Cyrillum Alexandrinum [4], Theodoretum [5], Theophylactum (ad h. l.) et Oecumenium (ad h. l.) vocem μορφη in præsenti loco per φυσις et ουσια interpretari; nescio tamen an inde consequatur eos opinatos fuisse hanc notionem voci μορφη *proprie* et *per se* competere; nam fieri quoque potuit ut notionem *naturæ* sive *essentiæ* (φυσις, ουσια) voci μορφη ideò tantùm tribuerint, quia *sentiebant* per μορφην Θεου *simul connotari* essentiam sive naturam divinam. Certe S. Gregorius Nyssenus [6] voci μορφη hoc tantùm modo subjicit notionem *naturæ* sive *essentiæ*: ἡ δε μορφη του Θεου, inquit, ταυτον τῃ ουσιᾳ παντως εστιν· ὡς γαρ εν τῃ μορφῃ του δουλου γενομενος, τῃ ουσιᾳ του δουλου ενεμορφωθη, ου ψιλην αναλαβων εφ' ἑαυτου την μορφην, ουδε της ουσιας διεζευγνυμενην, αλλα ἡ ουσια τῃ μορφῃ συσσημαινεται· ὁτως παντως και ὁ ειπων αυτον εν μορφῃ Θεου ειναι, την ουσιαν δια της μορφης ενεδειξατο. h. e. » Forma autem Dei idem plane est cum essentia; nam sicut in formâ servi factus, naturâ servi *informatus* est,

---

(1) De Incarnatione. Lib. III. Cap. VI. 5.

(2) De Incarnatione. Lib. VII. Cap. VIII. 9.

(3) Quæ adducuntur loca hæc sunt: *a*) Ex Flavio Josepho *contra* Appion. Lib. 2. Cap. 22, ubi Deus dicitur μορφην τε και μεγεθος ἡμιν αφανεστατος. Quem locum conferunt cum hoc ex Cap. 16: ὁποιος δε κατ' ουσιαν εστιν, αγνωστον. *b*) Ex Euripid. *Bacch.* Act. 1. 54. Ὧν οὑνεκ' ειδος θνητον αλλαξας εχω, μορφην τ'εμην μετεβαλον εις ανδρος φυσιν.

(4) Μορφην γαρ δουλου, inquit, την ουσιαν.... προσαγορευει του δουλου· ει γαρ ἡ του Θεου μορφη την ουσιαν δηλοῖ του Θεου, ευδηλον ὡς και ἡ του δουλου, της ουσιας εστι του δουλου σημαντικη. *h. e.* « Formam servi appellat naturam servi; nam si forma Dei indicat essentiam Dei, evidens est quod etiam forma servi indicat essentiam servi. » S. Cyrilli Alexandr. *Capitula de Incarnatione Domini*, Cap. I. (Græce, in *Card.* Maii *Scriptorum veterum nova collectione.* Tom. VIII.

(5) Ad. h. l. «Μορφη Θεου, ουσια του Θεου, h. e. *Forma Dei est essentia Dei.*

(6) Orat. IV *contra* Eunomium. Tom. 2. pag. 566, ed. Paris. 1638.

non nudam assumendo formam et ab essentia disjunctam, sed unà cum formâ et essentia consignificatur; ita prorsus et qui dixit illum in formâ Dei esse, *per formam indicavit essentiam.* » Idem alibi [1]) *μορφην Θεου* interpretatur *Majestatem Dei Patris. Μορφην του Θεου,* inquit, *λεγει τον Κυριον· ου κατασμικρυνων τῃ της μορφης εννοιᾳ τον Κυριον, αλλα το μεγεθος του ὑιου δια της μορφης ενδεικνυμενος ᾗ ενθεωρειται του πατρος ἡ μεγαλειοτης. h. e.* : « Formam Dei Dominum vocat (Paulus), formæ notione non imminuens Dominum, sed per formam ostendens magnitudinem Filii, quâ formâ intelligitur Dei Patris majestas. »

S. Maximus [2]) (in Cap. II. Dionysii Areopag. *de Cœlest. Hierarch.*) dicit per illud *εν μορφῃ Θεου ὑπαρχων* significari *το απαραλλακτον προς τον ἑαυτου πατερα* h. e. *Filium per omnia æqualem esse Patri.*

S. Athanasius [3]) (*de Adventu Christi adversus Apollinarium*) docet per *formam Dei* intelligi *plenitudinem Deitatis Verbi. Ἡ μορφη του Θεου,* inquit, *το πληρωμα της του Λογου Θεοτητος νοειται.*

S. Chrysostomo (Hom. VII. in Ep. ad Philipp.) *ὁ εν μορφῃ Θεου ὑπαρχων* est *ὁ μηδεν ελαττον εχων του Πατρος, ὁ ισος αυτῳ, qui nihil minus Patre habet; qui ei æqualis est.*

Ex locis SS. Patrum, quæ modo citabamus, patet eos non eodem modo omnes vocem *μορφη* intellexisse. Idem dicendum est de ceteris S. Scripturæ interpretibus. Nam alii docent nomine *formæ* hic intelligi *naturam divinam*, [4]) alii *omnimodam æqualitatem Filii cum Deo Patre* [5]), alii *majestatem divinam* [6]), alii *imaginem Dei Patris* [7]).

Jam ut hic et ipse aperiam, quæ mea sit sententia de vocis *μορφη* notione, equidem non putem eam posse Latinè rectius reddi quam per vocem *forma*, quam Interpres noster adhibuit. Si tamen ea vox Latina per aliam Latinam foret explicanda, dicerem per *formam* hic notari *speciem.* Scilicet per *formam* intelligo indicari id, quod quis vel quid præ se fert. Ergo ubi agitur de *formâ Dei*, per formam non quidem *primò* et *per se* indicatur *natura divina*, sed hæc *connotatur*, quum forma sive species divina esse nequeat nisi unà cum natura divina. Atque hæc de *notione* ejus vocabuli. Quod vero attinet ad ejusdem *interpretationem*, non dubito quin Apostolus, cum scriberet *in forma Dei*, voluerit ut cogitaremus divinarum Personarum æqualem *gloriam et majestatem.* Nam quod hic dicitur *Dei*, id cum Salmerone [8]) sumo ut dictum de Divinitate tribus Personis SS. Trinitatis communi. *Μορφην* hanc Salvator noster in mente habebat, cum Patrem suum ita precaretur (Jo. XVII. 5): *και νυν δοξασον με, συ, Πατερ, παρα σεαυτῳ τῃ δοξῃ,*

---

(1) De perfecta Christiani forma. T. 3. p. 284.

(2) Apud Suicerum, ad voc. *μορφη.*

(3) Apud Suicerum, ib.

(4) S. Thomas, estius, Corn. a Lapide (ad. h. l.)

(5) Hervæus, Haymo (ad h. l.).

(6) Mariana (ad h. l.)

(7) Calmet. (ad h. l.).

(8) Ad h. l.

ἥ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοῦ. Vulgata : « *Et nunc clarifica me, tu , Pater , apud temetipsum , claritate , quam habui priusquam mundus esset , apud te.* Quibus verbis Jesus rogat , ut quam gloriam secundum naturam divinam æternùm habet apud Patrem , eam Pater humanæ quoque ejus naturæ tribuat , collocando eam *ad dexteram suam.*

Ergo putem verba *qui cum in forma Dei esset*, explicatius reddi posse ita : « *Qui dum speciem Dei præ se ferebat.* » Si cui hæc paraphrasis non probetur , velim non ante de re judicet , quam integri hujus loci interpretationem legerit. Prævideo enim dicenda esse quædam , quæ illam paraphrasin magis commendare queant.

non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo). Græca Belgice reddiderim : *die in godsgesteltenis zijnde , het aan God gelyk te wezen niet als roofgoed heeft betracht , maar* , etc. Notandum est , τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ esse Accusativum , qui pendet a Verbo Finito ἡγήσατο. Interpres noster de suo supplevit Pronomen *se.* Vertere potuisset minus eleganter hoc modo : *non rapinam arbitratus est esse æqualiter Deo.* Vocem ἁρπαγμός , Antiqui [1]) hoc loco dictam intellexerunt non de de *actu rapiendi* , sed de *rapta re* sive de *præda.* Nomina verbalia in μος plerumque quidem *actionem* non vero *rem* significant; sed tamen non fit hoc perpetuò [2]). Itaque quamvis non sint adhuc prolata exempla , ubi vox ἁρπαγμός notionem habeat *prædæ* , tamen putaverim licere dictionem ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι eo sensu accipere ac si scriptum esset ἅρπαγμα ἡγεῖσθαι. Formula autem ἅρπαγμα ἡγεῖσθαι , sat sæpè obvia [3]). proverbialiter adhibita fuisse videtur de hominibus inopinatò lucrum quoddam sive emolumentum nactis idque tam avidè capessentibus quam tenaciter retinentibus. In præsenti loco Apostoli dictionem illam *de tenaciter retinendo* proverbialiter dictam esse censuerim.

In locutione ἴσα εἶναι τινι, vox ἴσα posita est in Neutro Plurali , et quidem in Accusativo , qui habendus est pro Accusativo *quantitatis* [4]) ; ἴσα autem *adverbialiter* dictum est pro ἴσως , ut adeo græca valeant *esse æqualiter Deo.* Ceterum observandum est , τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ scribi cum Articulo ; ex quo conficitur illud εἶναι ἴσα Θεῷ Apostolo idem hoc esse , secundum *rem* , quod sibi voluit per præcedens ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων. Nec ideo tamen satis recte scribere poterat ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων , οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τοῦτο εἶναι , quia præcesserat non ὃς μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων sed ἐν μορφῇ. Ad hæc , si τοῦτο scripsisset , caruissent ejus verba illa orationis gravitate , quam nunc habent ; et præterea minus perspicuum fuisset antitheton illud *sed semetipsum exinanivit.*

---

(1) THEODORET. in Ep. ad Philipp. ad Cap. II ỳ. 6 et 11 ; S. CHRYS. Hom. VII in Ep. ad Philipp. ad h.l. ISIDORUS PELUSIOTA Lib. IV. 22.

(2) Cf. KÜHNER § 367. Anm. 2. 5.

(3) Cf. THOLUCKII Disputat. de loco *Pauli* ad Philipp. Cap. II. 6-9. Italis. 1847. pag. 18. sq.

(4) Vide KÜHNER § 556 , et WINER. § 27. 8.

Quum hic agatur de Filio Dei Jesu Christo, Deo-homine, vox *Deo* hic nomen Personæ est; ut adeò sensus sit : *esse æqualem Deo* Patri. Itaque versiculum sextum in hanc sententiam explicaverim : *Qui in majestate, quæ Deo competit, exsistens Deo Patri æqualis, illam majestatem, non cupide tenaciterque retinuit sed semet ipse exinanivit*, etc. Theodoretus (ad h. l.) : *Θεος ων*, inquit, *και φυσει Θεος, και την προς τον πατερα ισοτητα εχων, ου μεγα τουτο ὑπελαβε· τουτο γαρ ιδιον των παρ' αξιαν τιμης τινος τετυχηκοτων; αλλα την αξιαν κατακρυψας, την ακραν ταπεινοφροσυνην είλετο, και την ανθρωπειαν ὑπεδυ μορφην*. h. e. *Deus existens, et natura Deus, et Patri æqualis, non hoc magnum existimavit : hoc enim proprium est eorum qui præter meritum honorem aliquem sunt consecuti; sed, celatâ dignitate, summam elegit humilitatem, et humanam formam suscepit.*

℣. 7. *sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens)*. Cum hoc Verbo Finito (*εκενωσε*) juncta sunt Participia Aoristi tria : *λαβων*, *γενομενος*, et *εὑρεθεις*, quibus *modus* describitur, quo facta est illa *exinanitio*. Primum Participium *λαβων* pendet a Verbo Finito *εκενωσε*, reliqua duo verò (*γενομενος* et *εὑρεθεις*) *æqualiter* pendent a dictione *μορφην δουλου λαβων*, quam *distinctius* exponunt. Illud *μορφην δουλου λαβων* non sumendum est tamquam aliquid quod præcesserit illud *εκενωσε*, sed tamquam hujus *contemporaneum*. *Λαβων* est Aor. 2; sed Aoristi formâ quidem differunt, non verò notione. Græca, ut vis exprimatur Participii in Aoristo positi, latine vertas ita : *sed semetipsum, acceptâ servi formâ, exinanivit*, (*εκενωσε*), h. e. inanem reddidit, depressit, se evacuavit, puta illâ *μορφη Θεου*, divinâ illa gloriâ et majestate, quatenus hanc, acceptâ *μορφη δουλου*, velavit et occultavit. Ex contextâ oratione (℣℣. 8. 9) liquet Apostolum intelligere Jesum Christum factum esse servum Dei, puta ad perficiendum opus redemptionis humani generis. Lege Isaiæ *de servo Dei* vaticinium (Isaiæ Cap. 52. ℣. 13-15, et Cap. 53. ℣. 1-12). Nam quod alii dicunt, ideo Jesum Christum hic *servum* dici, *quia naturam humanam suscepit, quæ utique respectu Dei totius creaturæ Domini servilis est*, hoc, inquam, longius petitum est. Incarnatio Verbi *innuitur* quidem per verba *formam servi accipiens*, sed proprie per ea non *exprimitur*. Dei Verbum incarnatum tam vere *speciem servi* (*μορφην δουλου*) præ se tulit in peragendo opere redemptionis humani generis, quam vere fuit Patri obediens *ad mortem, mortem autem crucis.*

in similitudinem hominum factus). Græca : *εν ὁμοιωματι ανθρωπων γενομενος*, reddi possunt : *incipiendo esse in similitudine hominum;* hoc est : humanam assumendo naturam, similis hominibus factus. Intellige *similitudinem* non apparentem aut fictam, ut voluerunt Docetæ, sed *substantialem*, qua omnes homines dicuntur esse similes specie, seu naturâ humanâ. Nam talem similitudinem ab Apostolo hic intelligi, patet ex ejus epistola ad Hebræos, Cap. 2, ubi (℣. 17) Christum *fratribus* id est hominibus *similari* (*ὁμοιωθηναι*) idem illi est quod (℣. 14) *communicare carni et sanguini* (*μετεχειν, κοινωνειν σαρκος και αἱματος*), h. e. naturæ humanæ. Paulus Jesum Christum adeo

vere *hominem* novit, ut *factum* eum doceat *ex muliere* (Gal. IV. 4), *ex semine David* (Rom. I. 3), virtute Spiritûs sancti *απατορα* IN et EX B. Virgine MARIA DAVIDIS filia, *formatum*. S. CHRYSOSTOMUS rationem dat ob quam de Verbo incarnato dicatur potius *εν ὁμοιωματι hominum factus est*, quam simpliciter *homo factus est;* ratio hæc est: « *Similitudo* dicitur, inquit, eo quod non omnia sunt æqualia; utpote quod non ex commixtione corporum, quod sine peccato, quod minime nudus homo [1] ». Præpositio *εν* in locutione *εν ὁμοιωματι* sumenda est *de eo, quo quis induitur.* [2], ut idem valeat ac *cum*. cf. Matth. XI. 8. Luc. VII. 25. Rom. VIII. — « Manens Verbum quod erat, inquit CORN. A LAPIDE, (i. h. l.) ad se humanitatem assumpsit, eamque quasi *vestem substantialem* induit. Dico *substantialem*; nam in hoc est dissimilitudo incarnationis, et vestitionis, quod unio incarnationis sit *substantialis*, vestitionis vero sit *accidentalis*. »

et habitu inventus ut homo). Vox *σχημα* (*habitus*), si sermo sit de homine, notat universam conditionem ejus externam, ut conspicuam in forma corporis, victu, gestu, incessu, ceteris [1]. *Ἑυρεθεις* (*inventus*) plane respondet Nostratium *bevonden worden*. Verus homo in omnibus *deprehendebatur;* agnitus est verus homo. Particula *ut* etiam hic *vim* suam *comparativam* obtinet. Nimirum similitudo non necessario excludit rei *veritatem;* nihil tam simile uni homini quam alter homo.

℣. 8. *Humiliavit semetipsum).* In præcedenti versiculo Apostolus ab exemplo Christi sese exinanientis Philippenses suos hortabatur ad eam animi virtutem, quam Galli vocant *le désintéressement*. Hic vero illis sistit exemplum CHRISTI sese *humiliantis*. Quod sine Particula copulativa Apostolus dicere pergit, facit hoc ad gravitatem orationis; et magnam emphasin habet positio vocis *εταπεινωσεν* in principio sententiæ.

factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis). Participium Aor. *γενομενος*, ut Participia præcedentia (℣. 7), *modum* sive *actum* exponit, quo facta est illa *ταπεινωσις*. Est autem facta per obedientiam præstitam Patri. Illud *usque ad mortem* notat veluti *apicem* ejus obedientiæ, ut significetur, CHRISTUM tum ceteris præceptis Dei Patris obtemperasse, tum illi omnium maxime arduo de subeunda morte in patibulo crucis. Itaque verba *usque ad mortem*, non sunt interpretanda, ut nonnemo voluit, *usque ad finem vitæ*; et patet hoc ex addito: *mortem autem crucis*. Ex quo etiam conficitur partem hanc *usque ad mortem, mortem autem crucis*, minime jungendam esse cum *εταπεινωσεν ἑαυτον*, sed cum *γενομενος ὑπηκοος*, cujus *gradum* definiunt. *Mortem autem crucis*, *θανατου δε σταυρου*. Particula *δε* hic vim habet amplificandi

---

(1) *Ομοιωμα, δια το μη παντα ειναι ισα· διον το μη εκ συνουσιας, το χωρις ἁμαρτιας, το μη ψιλον ανθρωπον.* Hom, VII. in ep. ad Philipp.

(2) Probatur ex usu illius vocabuli in exemplis a WETSTENIO collectis. a h. l.

(1) Vide VIGER. Cap, IX. Sect. III. XVI.

atque augendi, eamdemque potestatem atque *αλλα δη και* [1]. Vim illius Particulæ Gallice hâc oratione expresserim : *il fut obéissant jusqu'a la mort* : MAIS *quelle mort ! la mort de la croix !*

ỷ. 9—11. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : 10 ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, 11 et omnis lingua confiteatur quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris. [b]

ỷ. 9—11. *Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αυτῳ ὄνομα* [a] *τὸ ὑπερ πᾶν ὄνομα,* 10 *ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων,* 11 *καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, εἰς δόξαν Θέου πατρός.*

Paraphrasis : Propter quam obedientiam Deus eum vicissim ad summum honoris fastigium evexit, nomenque illi donavit quodvis aliud nomen dignitate excedens, ut ad nomen JESU genua flectant rationales creaturæ omnino omnes, angeli, homines, dæmones, atque ita omnis lingua confiteatur Dominum ac Deum esse JESUM CHRISTUM, ad gloriam Dei Patris.

VARIANS LECTIO.

[a]) Versus 9, addito Articulo, ita legitur : *ἐχαρισατο αυτῳ το ονομα*, in ABC. 17. et apud varios SS. Patres, quos recenset WETSTEIN. Et quamquam in majore Codicum numero Articulus non legitur, tamen legendum arbitror *το ονομα*, tum quia ea lectio non contemnendam habet auctoritatem ; tum etiam quia facile fieri potuit, ut ob præcedens *τω* librarius sequens illud *το* prætererit ; tum denique quia, quod sequitur *το ὑπερ παν ονομα*, postulare videtur ut præcedens *ονομα definite* cum Articulo scribatur.

[b]) ỷ. 11. Pro eo quod in Vulgata legitur, *in gloria est Dei Patris*, in Græco est : *ὁτι Κυριος Ιησους Χριστος, εις δοξαν Θεου Πατρος*, h. e. *quod Dominus* (est) *Jesus Christus, ad* (in) *gloriam Dei Patris.* Atque ita legitur in Codd. Græcis omnibus, nullo excepto. Eodem modo in suo codice legit auctor antiquissimæ versionis Latinæ, quam *Italam* vocant ; nam vertit : *et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesu Christus in gloriam Dei Patris.* Et interpres Syrus ܘܟܠ ܠܫܢ ܢܘܕܐ ܕܡܪܝܐ ܗܘ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܠܫܘܒܚܐ ܕܐܠܗܐ ܐܒܘܗܝ ܀ h. e. « *et omnis lingua confiteatur, quod Dominus est Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris.* » Sic quoque legerunt Antiqui THEODORETUS, CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS, OECUMENICUS, ORIGENES [2]), et DIDYMUS ALEXANDRINUS [3]). Itaque non est cur dubitemus quin ita legendum sit hoc loco, ut in Græco textu legitur.

(1) Vid. HOOGEVEEN, ad Particulam δε. X.

(2) In Joh. Tom. 2. p. 134. in edit. HUETII.

(3) De Trinitate Lib. 3. Cap. X.

ỷ. 9. *Propter quod et Deus exaltavit illum).* Docet hic Apostolus quid sibi Jesus Christus meruerit, quòd fuerat obediens usque ad mortem crucis. Faciebat hoc ad animos Philippensium eo magis excitandos ad Christi exemplum imitandum.—*Διο* non est reddendum *quo facto*, ut fecit Calvinus ne Scriptura videretur contradicere errori suo, quo statuebat Christum nihil sibi meruisse. *Διο*, quod est pro *δι' ὁ*, reddendum est *propter quod*, ut Noster fecit; neque uspiam alia est ejus Particulæ significatio [1]; adeoque *διο* sumere de *consequentia* aut *eventu*, nihil aliud est quam pro libito novas vocabulis subjicere notiones; quod illicitum est, maxime in re Theologica. Particula *και* (*propter quod* ET) hic est *etiam*, valetque tantumdem ac *vicissim*, ut Rom. I. 24 in simili phrasi. Pro *exaltavit* quod præcedenti (ỷ. 8) *humiliavit* opponitur, Græce est vox composita *ὑπερυψωσε*, *superexaltavit*; quasi dicas: pro demissione illa profundissima, in *summam* eum extulit sublimitatem; nam eam quoque vim habet Præpositio *ὑπερ* in Verbis Compositis [2]. *Summa* autem illa sublimitas distinctius ab Apostolo describitur in epistola ad Ephesios (Cap. I. 20), ubi Christum a mortuis resuscitatum dicit *constitutum esse ad dexteram Patris in cœlestibus, supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo sed etiam in futuro.*

et donavit illi nomen, quod est super omne nomen). Particula *et* hic non tam *conjunctiva* est quam *explicativa*, ut patet ex loco parallelo (Ephes. I. 20), quem modò citabamus. Græce est *το ονομα, το ὑπερ παν ονομα*. Non legitur *ὁ ὑπερ παν ονομα*, ut supplendum sit *εστι*, sed ad voces *το ονομα* emphatice *apponitur το ὑπερ παν ονομα h. e.* nomen, quodvis aliud nomen excedens. Belgice sensum reddideris his verbis: *en gaf hem den naam, die boven alle namen is.* Nomen autem hoc intelligo illud, quo Jesus Christus dictus est *Deus*, Adonai sive *Κυριος* (*Dominus*), quo vocabulo in Græca Scriptura nomen Adonai redditur. Atque hoc nomen hic ab Apostolo intelligi, satis constare mihi videtur ex Ep. ad Hebr. Cap. I. 4. 5, ubi Jesus Christus a Paulo dicitur *tanto melior* (præstantior) *Angelis effectus, quanto differentius* (præstantius) *præ illis nomen hæreditavit; nam*, ut ibi dicere pergit, *cui angelorum dixit* (Deus) *aliquando:* Filius meus *es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in* Filium? « Dicitur autem Deus, ut hic notat Estius, hoc nomen *Filii Dei* Jesu Christo donasse, quando *rem nominis* fecit innotescere, scilicet post ejus resurrectionem et adscensionem in cœlum. Tunc enim cœpit ab hominibus agnosci verus Dei Filius verusque *Deus*, et ut talis honorari ac glorificari. » In eamdem sententiam loquitur S. Thomas: « Nomen, *inquit*, imponitur ad significandam rem aliquam et tanto nomen est altius, quod (*quanto*) res significata per illud est altior... Ergo hoc nomen, ut *Deus* diceretur et esset, dedit isti, scilicet Christo Pater, tamquam vero

---

(1) Wolfius (in Curis philolog. et critic. in N. T.) opponit Act. XIII. 35, et XX. 26; sed in utroque loco *διὸ* reddendum est *propter quod.*

(2) Vide Viger. Cap. IX. Sect. IX. III, in nota subjecta.

Deo. . . . Dicendum est, quod in Scriptura dicitur aliquid fieri, quando innotescit. *Donavit* ergo, id est, fecit manifestum mundo, quod hoc nomen haberet. Hoc enim manifestatum est in resurrectione, quia ante non erat sic nota divinitas Christi. Et huic concordat textus sequens, quasi non donaverit quod non haberet, sed ut hoc omnes venerarentur.» Ita et Salmeron ad h. l. « Mos est Scripturæ sanctæ, *inquit*, ut res eo tempore fieri dicatur, quando innotescit. Et ita quod ait, *dedit illi nomen*, perinde est ac si dixisset : Pater fecit ut divinitas ejus et nomen Jesu quod habuit, toto orbe innotesceret, et ab omnibus agnosceretur passim et prædicaretur Deus. Et ita interpretandum est illud : *Dominus dixit ad me : filius meus es tu, ego hodie genui te*; et hoc : *dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem.* »

Manifestum est ex contexta oratione, nomen *Dei* quod hic *datum* dicitur Jesu Christo, datum illi fuisse, non quatenus *Deus* est, sed quatenus *homo*. « Nam, ut observat Petavius [1], si Filio suo, qua Deus est, Pater nomen illud eximium ac decus donasset, consequens esset, Deum Verbum post Incarnationem ad majorem quam antea gloriam fuisse provectum; quod absurdum est dictu. »

Dicebam suprà, *nomen*, de quo hic agit Apostolus, mihi omnino videri intelligendum esse nomen *Dei* sive *Filii Dei*; et in eâ sententiâ sunt interpretes non pauci [2]. Attamen non desunt qui putent nomen quod Apostolus hic in mente habuit, esse nomen Jesu [3]. Et sane fatendum est, contextam orationem huic sententiæ favere. Sed illud obstare videtur, quod hoc nomen Jesu, ut Estius observat (ad h. l.), « multo ante exaltationem et impositum fuit Christo et ab hominibus agnitum, idemque fuit multis aliis commune. » Ad hoc tamen respondere possim : nomen Jesu proprie tantumdem valere ac si dicatur *Deus Salvator* [4]; et quamquam alii hoc nomine Jesu nominati fuerunt, neminem tamen

(1) De Incarnatione Lib. XV. 2.

(2) Theodoret. (i. h. l.) Hilarius, Gaudentius Brixiensis (apud Velasquez), Theophylactus, Oecumenius, Thomas, Anselmus, Haymo, Estius.

(3) Origen. (Hom. I. in Josue), Justinianus, Corn. a Lapid.

(4) Quum præsens locus sat opportunus sit, dicam quæ mea sit sententia de etymo et vera notione nominis Jesu.

Nomen Jesus (Ἰησους) est Hebraicum יֵשׁוּעַ, quod ex Dialecto Jerosolymitanâ, [1] quasi absque Gutturali ע scriberetur, pronunciabatur יֵשׁוּ; indeque est, additâ litterâ ς, Græca ejus nominis scriptio Ἰησους. Est autem יֵשׁוּעַ vox contracta ex יְהוֹשׁוּעַ; nam eadem persona, quæ Numer. Cap. XII. 16 vocatur יְהוֹשׁוּעַ, in Nehemiæ libro Cap. XIII. 16 appellatur יֵשׁוּעַ, nimirum syllabâ יְהוֹ contractâ in יֵ, ut in nomine proprio יֵהוּא (Jehu), quod est pro יְהוֹהוּא (h. e. יְהֹוָה הוּא) quod Latine valet *Deus est*. Itaque יֵשׁוּעַ tantumdem est ac יְהוֹשׁוּעַ. Sed jam quid est יֵשׁוּעַ? Nequit haberi, ut plures putarunt, pro formâ Futuri Hiphilicâ a radice יָשַׁע; nam ea forma est יוֹשִׁיעַ. Verum quidem est pro priore syllabâ יוֹ occurrere ex Aramaismo etiam יְהוֹ (יְהוֹשִׁיעַ); sed hoc rarissimo fit [2], nec est cur putemus factum

(1) Vide meæ *Chrestomathiæ Rabbinicæ et Chaldaicæ* volumen 2. pag. 16-17.

(2) Vide Altingii *Fundamenta Punctuationis*. Sect. XII, de Anomaliis ex dialecto Aramæâ. § 171.

præter Jesum Nazarenum agnitum fuisse tamquam eum, qui *hoc erat*, quod eo nomine significatur; et licet illi hoc nomen jam in circumcisione fuerit impositum, eum tamen non nisi post ejus resurrectionem et adscensionem in cœlum tamquam *talem* ab hominibus cœpisse honorari et glorificari. Ego tamen magis propendo in sententiam eorum, qui putent *nomen* ab Apostolo hic indicatum, esse nomen *Dei*. Atque ita sentio, *primo*, quia verba Apostoli, quæ ex epistola ad Hebræos modo citabamus, eam interpretationem vehementer commendant, et quasi præcipiunt; *secundo*, quia opus est interpretatione aliquantulum subtiliori et longiuscule petita, ad probandum nomen Jesu reapse *nomen super omne nomen* esse; *tertio*, quia fere communis antiquorum sententia est, nomen, quod Apostolus hic ob oculos habet, nomen *Dei* esse; *quarto*, quia Paulus ipse hoc me docere videtur, quum pergat dicere: *et omnis lingua confiteatur Jesum Christum esse Dominum*, id est, *Deum*. Omnino enim videtur mihi Apostolus hac parte docere, quale tandem sit illud nomen super omne nomen, quod hucusque nondum enunciaverat.

℣. 10. *ut in nomine Jesu omne genu flectatur*). Pro *ut* græce est ἱνα, non verò ὡστε, adeoque illa Particula non est interpretanda *ita ut*, sed sumenda est τελικως, h. e. tamquam designans *scopum* sive *causam finalem*. Præpositio εν (*in*) hoc loco, quemadmodum et Act. VII. 29, mihi videtur valere *ad*, quo sensu eam Præpositionem adhibet Ovidius (*Pont.* I. 3. 9) in hoc: *ad tua verba revixi*. Intelligimus autem hic per *nomen Jesu*, Personam hoc nomine vocatam, quod et Apostolus sibi voluit, ut patet ex oratione contexta: *et omnis lingua confiteatur quia Dominus est Jesus Christus*. Genuflexio per Metonymiam *signi pro signato* notat *subjectionem*. Confer locum parallelum ex Ep. ad Ephes. I. 21. 22. Qui sequuntur Genitivi, επουρανιων, επιγειων, et καταχθονιων, explicant præcedens παν per enumerationem partium. Articulus abesse poterat, quum contexta oratio non sinat dubitare quin definite *omnes* επουρανιοι, επιγειοι et κα–

---

illud esse in nomine proprio יְהוֹשׁוּעַ. Sed præterea, vel ideò non licet habere nomen Proprium יְהוֹשׁוּעַ pro forma Hiphilica, quia hæc forma postulasset ut scriberetur non שׁוּעַ sed שִׁיעַ. Et vero si יְהוֹשׁוּעַ forma Hiphilica sit, quidni, servatâ formâ Grammaticâ, Hebræi scripsissent יְהוֹשִׁיעַ, quemadmodum formam grammaticam servarunt in nominibus propriis יְהוֹיָכִין, יְהוֹיָקִים, יְהוֹיָרִיב, in quibus prior syllaba יְהוֹ contracta est ex יְהוָֹה *Jehova*.

Ego ergo sic sentio, יֵשׁוּעַ dictum esse pro יְהוֹשׁוּעַ et יְהוֹשׁוּעַ contractum esse ex יְהוָֹה שׁוּעַ. Vocem autem שׁוּעַ habeo pro nomine derivato a radice יָשַׁע, ad quem modum בּוּל est a יָבַל et דּוּעַ in מַדּוּעַ) a יָדַע. Jam vero שׁוּעַ est *salus*, quæ significatio et a radice et a forma vocabuli postulatur, et confirmari hoc potest ex Job. XXX, 24., ubi vox שׁוּעַ a Kimchio explicatur [a]) per תְּשׁוּעָה, *Salus*. Atqui *salus*, vox abstracta, dici potest pro concreta *Salvator*. Itaque יֵשׁוּעַ mihi tantumdem est ac *Jehova Salvator*; quam ejus nominis interpretationem Angelus Gabriel jam videtur dedisse, quum B. Josepho diceret: *Pariet* (conjux tua) *filium et vocabis nomen ejus Jesum, ipse* ENIM *salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. I. 21.)

---

a) In suo כפר השרשים ad voc. ישע.

ταχθονιοι hic sint intelligendi. [1] Sunt autem *επουρανιοι* (*cœlestes*), *επιγειοι* (*terrestres*) et *καταχθονιοι* (*subterranei*), uno verbo *omnes omnino creaturæ rationales*, h. e. angeli, homines, et dæmones. [2]

℣. 11. *et omnis lingua confiteatur.*) Explicatur quid designet illa ad nomen Jesus genuûm flexio ; ut adeo Particula *et* hoc loco *exegetica* potius sit quam *conjunctiva.*

omnis lingua). Scil. cœlestium, terrestrium et subterraneorum. Est autem, ut supra *genu*, ita hic *lingua* intelligenda humani corporis membrum, quod hic, ut ibi *genu*, per *ανθρωποπαθειαν* etiam Spiritibus tribuitur. Pro *confiteri* græce est composita vox *εξομολογεισθαι*, ubi Præpositio *εν* habet vim *augendi* [3], quasi Belgice diceres *vol uit bekennen.*

quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris). Horum verborum sensus, quem passim tradunt Latini, hic est : « Et omnis lingua confiteatur Dominum Jesum Christum esse in gloria Dei Patris, id est, habere gloriam eamdem cum Patre, utpote quem agnoscunt verum Deum, Patri æqualem. Quod nimirum ipse futurum prædixit (Jo. v.) : *ut omnis honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* [4] »

Atque hanc interpretationem Vulgata nostra omnino postulat ; sed græca verba, ut mihi videtur, eam non ferunt. Verum quidem est Præpositionem *εις* nonnunquam adhiberi pro *εν*, sed adest tum verbum aliquod *quietis*, quo tunc qui *est in aliquo loco*, simul cogitatur ut *veniens in eum locum.* Vide Matth. II. 23. IV. 13. Luc. XXI 37. Act. Ap. VII. 4. XII. 19 [5]. Atqui tale verbum nullum hic legitur. Sed quod potissimum me movet ut putem interpretem nostrum non satis recte verba græca reddidisse, hoc est, quod inter Græcos nemo occurrit, qui præsenti loco eum sensum subjecerit, quem Vulgata versio postulat. Accedit, contextam orationem (*dedit illi nomen*) suadere ut putemus Apostolum non voluisse hic exprimere *qua gloria* Jesus Christus fruatur, sed *pro quali subjecto* sit ab omnibus agnoscendus. Itaque sensus est, quem Græci unanimiter tradunt [6] : Et omnis lingua confiteatur, Dominum, i. e. Deum esse Jesum Christum, idque in gloriam Dei Patris, *h. e.* quod præconium cedit in gloriam Dei Patris. « Est enim Patris gloria, inquit Oecumenius, talem habere Filium, omnium Dominum, et conditorem, et Deum, et cui se flectat omne genu, et omnis lingua confiteatur. [7] » Ceterum ad probandam Jesu Christi divinitatem, tam Græcorum quam Latinorum valet hujus loci expo-

---

(1 Cf. Winer § 18. 1.

(2) Ita docent Chrysostomus, Theophylactus. Salmeron, Titelmannus (Elucidat. in omnes Ep. Paulin.)

(3) Cf. Vigerum Cap. IX. Sect. III. V. in nota.

(4) Estius, ad h. l.

(5) Cf. Kühner § 622. Winer § 54. 4.

(6) Legantur ad h. l. S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* VII. Cap. III.

(7) Oecumenius ad h. l. : *Δοξα γαρ πατρος, το εχειν τοιουτον υἱον, παντων δεσποτην, και ποιητην, Θεον, και ᾡ κλινει παν γονυ, και πασα γλωσσα εξομολογησεται.*

sitio. Nam si dicas Jesum Christum eamdem cum Patre habere gloriam et majestatem, Deum eum esse hoc ipso jam dixeris.

Genuflexio et *confessio*, quæ hoc loco dicuntur, generaliori sensu accipienda sunt de actu agnoscendi Jesum Christum pro homine-Deo, sive spontaneus sit ille actus, sive præstetur ab iis qui, quatenus illi plenissime subjecti, etsi inviti, ipsa illa subjectione tamquam *talem* eum agnoscere cogantur, secundum illud, quod in Psalmo prophetico CIX de Jesu Christo dicitur: *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Apposité et ad rem hic notat Estius: « Quamvis, inquit, hæc Christi exaltatio, quam memorat Apostolus, etiam ante ejus passionem quoddam initium habuerit (nam et Angeli Christo nato, tamquam Dei Filio, gloriam cecinerunt; et Magi, multique præterea homines eum adhuc mortalem adoraverunt, et dæmones imperio ejus cesserunt, ac Filium Dei confessi sunt), posteaquam tamen a morte resurrexit et in cœlum adscendit, mirabiliter aucta est ejus gloria per Ecclesiam ubique diffusam..... Quamvis ergo Christi gloria toto orbe sit dilatata, quia tamen adhuc non desunt qui eum blasphemant, qui vero eum agnoscunt et venerantur, non omnes quantus est agnoscunt, nec omnes ei subjecti sunt; et quia dæmones quoque eum adhuc in membris suis persequuntur, ut propter hæc Apostolus Hebr. 2. dicat, *nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei;* utique non prius hæc Apostolica scriptura perfecte complebitur, quam in judicio extremo et deinceps, quemadmodum idem Apostolus luculenter docet ad Corinthios, Cap. XV. »

Pericopa hæc epistolæ ad Philippenses (℣. 6—12) imprimis valet ad stabilienda varia doctrinæ capita de sanctissima Trinitate, et de Incarnatione Verbi Dei. Quare et sancti Patres et scriptores antiqui triumphabundi hunc locum Apostoli Hæreticis passim objiciunt [1]. Præclarus est in hanc rem locus S. Cyrilli Alexandrini, quem hic subjicimus. « Sic, *inquit*, eximius Paulus paucis verbis universam Hæreticorum turbam dissolvit: Arii et Eunomii insaniam redarguit primis illis citati loci verbis: *hoc enim sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu, qui in forma Dei exsistens, non pro rapina habebat æqualem se esse Deo, sed, accepta servi forma, semetipsum exinanivit.* Neque enim dixit *in forma Dei factus*, sed *in forma Dei exsistens;* neque dixit: non pro rapina habebat *æqualem* se esse *sibi*, aut æqualem *creaturæ*, sed dixit æqualem se esse *Deo Patri*, Genitori, Æterno, Ingenito, Infinito, universi Domino. »

« Arii igitur et Eunomii impietas his verbis vehementer reprehensa est; sed et Sabellius, et Marcellus, et Photinus, qui tres in Deo Personas esse negabant, proprietatesque Divinitatis confundebant, hinc blasphemare arguuntur. Nam, secundum Hypostasin sive *Personam*, alius est is *qui* in forma Dei est exsistens, et alius ille in *cujus* forma exsistit; rursus, is qui non pro rapina habebat æqualem se esse Deo, alius est ab illo cujus æqualis exsistebat, sed æqualitatem non rapuit. »

---

(1) S. Chrys. Hom. VII. in Ep. ad Philipp. Theodoret. ad verba: *et omnis lingua confiteatur.* S. Isidorus Pelusiota. Epist. Lib. IV. Ep. 22. Oecumenius ad verba: *qui cum in forma Dei.* Theophylactus ad eadem verba.

« Præter hos, etiam pseudonymus iste Paulus (*Samosatensem intelligit*), qui æternam Salvatoris generationem negat, judaice sapiens, eamque solam confitetur qua ex virgine natus est, etiam hic, inquam, ex iisdem hisce verbis dignum suâ impietate ignominiæ fructum percipit. Discit enim a divo Paulo, *assumentem* esse Deum Verbum, et humanam naturam esse *assumptam*; præexsistentem esse formam Dei, et in fine sæculorum assumptam esse ab illa formam servi. »

« Rursum, discit Apollinarius unà cum Ario et Eunomio, Deum Verbum immutabilem non esse mutatum in naturam carnis, sed, assumptâ nostrâ naturâ, nostram operatum esse salutem. . . . . Præter illos, etiam antesignani illi impietatis et qui primi blasphemiam contra pietatem pullularunt, quique nomen Christianorum sibi imponebant, omnem autem idololatrarum Polytheismi errorem superabant, Marcion, inquam, et Manes, et pestiferæ illorum cathedræ initiati et propinqui, per ipsa illa verba insaniam suam intelligunt. Nam Domini nativitatem secundum carnem ejusque incarnationem negantes, audiunt divum Paulum docentem, formam Dei assumpsisse formam servi; formam autem servi non esse phantasma aliquod; neque umbram, neque aëriam quamdam speciem aut ejusmodi aliud quid vocari, sed naturam servi. [1]. »

---

(1) S. Cyrilli Alexandrini Capitula de Incarnatione Domini Cap. IX. Fuit hoc S. Cryilli opus primùm anno 1833 ex Codd. Vaticanis in lucem editum à Card. Maio, in suâ *Scriptorum veterum nova collectione*, Tom. VIII. Cum versio ejus operis adhuc non exstet, meam citati loci versionem dedi. Sequuntur hic græca : Οὗτως ὁ θεσπεσιος Παυλας εν ολιγοις ρημασιν ἅπαν των αἱρετικων το στιφος διελυσεν, Αρειου μεν και Ευνομιου την μανιαν ελεγξας, εν τῃ των προειρημενων ρηματων αρχῃ· τουτο γαρ φρονεισθὼ εν ὑμιν, ὁ και εν Χριστῳ Ιησου, ὃς εν μορφῃ Θεου ὑπαρχων, ουχ ἁρπαγμον ἡγησατο το ειναι ισα Θεῳ, αλλ' ἑαυτον εκενωσε μορφην δουλου λαβων· ου γαρ ειπεν εν μορφῃ Θεου γενομενας, αλλ' εν μορφῃ Θεου ὑπαρχων· ουδε ειπεν ουχ ἁρπαγμον ἡγησατο το ειναι ισα ἑαυτῳ, η ισα αγγελοις, η ισα τῃ κτισει, αλλ' ισα εφη Θεῳ τῳ πατρι, τῳ γεννησαντι, τῳ αναρχῳ, τῳ αγεννητῳ, τῳ απεραντῳ, τῳ των ὁλων δεσποτη.

Αρειος μεν ουν και Ευνομιος ισχυρον εντευθεν εδεξαντο της οικειας ασεβειας τον ελεγχον· και Σαβελλιος δε και Μαρκελλος και Φωτεινος, οἱ τας τρεις ὑποστασεις αρνουμενοι, και τας της θεοτητος συγχεοντες ιδιοτητας, εντευθεν βλασφημουντες ελεγχονται· ἑτερος γαρ κατα την ὑποστασιν ὁ εν μορφῃ Θεου ὑπαρχων, και ἑτερος εκεινος οὗ εν μορφῃ ὑπαρχει· και αλλος παλιν ὁ μη ἁρπαγμον ἡγησαμενος το ειναι ισα Θεῳ, παρ' εκεινον οὐ ισος ὑπαρχει αλλ' ουχ ἡρπασεν την προς αυτον ισοτητα. Προς δε τουτοις και ὁ ψευδονυμος Παυλος, ὁ την μεν προ αιωνων γεννησιν του Σωτηρος αρνουμενος, Ιουδαϊκῳ δε κεχρημενος φρονηματι, και την εκ παρθενου μονον ὁμολογων, εκ των αυτων τουτων λογων την αξιαν της ασεβειας αισχυνην καρπουται· διδασκεται γαρ ὑπο του θειου Παυλου, τον λαβοντα Θεον λογον, και την ανθρωπειαν φυσιν την λειφθεισαν· την πραυπαρχουσαν μορφην του Θεου, και εν τῳ τελει των αιωνων προσληφθεισαν απ' εκεινης του δουλου μορφην. Διδασκεται δε παλιν Απολιναριος συν Αρειῳ και Ευνομιῳ, ὡς ουχ ὁ Θεος λογος ὁ ατρεπτος, εις σαρκος φυσιν ετραπη, αλλα την ἡμετεραν αναλαβων ουσιαν, την ἡμετεραν επραγματευσατο σωτηριαν. . . . Προς δε τουτοις οἱ πρωτοσταται της ασεβειας, και πρωτοι την βλασφημιαν κατα της ευσεβειας βλαστησαντες, και χριστιανων μεν ονομα ἑαυτοις επιθεντες, πασαν δε την πολυθεον των ειδωλων [1]) πλανην ὑπερακοντισαντες, Μαρκιων, φημι, και Μανης, και οἱ της λοιμικης αυτων καθεδρας μυσται και γειτονες, δι' αυτων τουτων των ρηματων, την οικειαν παραπληξιαν μανθανουσι· την κατα σαρκα γαρ του κυριου γεννησιν τε και ενανθρωπησιν ου δεχομενοι, ακουουσι του θειοτατου Παυλου διδασκοντος, ὡς ἡ του Θεου μορφη ελαβε την του δουλου μορφην· ἡ δε του δουλου μορφη ου φαντασια τις ην· ουδε σκια, ουδε αεριον ινδαλμα, ουδ' αλλο τι των τοιουτων προσαγορευεται, αλλ' ἡ του δουλου φυσις.

---

(1) Suspicor legendum esse των ειδωλολατρων.

℣. 12—13. Itaque, charissimi mei (sicut semper obedistis :) non ut in præsentia mei tantum , sed multo magis nunc in absentia mea , cum metu et tremore vestram salutem operamini. [13] Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.

℣. 12—13. Ὥστε, ἀγαπητοί μου, καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε μου, μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον , ἀλλὰ καὶ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου, μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. [13] Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.

Paraphrasis. Itaque, dilectissimi, sicut ad hoc usque tempus semper Deo obedientiam præstitistis , ita porrò , non tantùm ad quem modum id faciebatis excitatore me præsente, sed nunc, me absente , multo magis sollicitè Deo obedire pergite , vestramque ita salutem operari. Macti animo, Philippenses ! adest enim adjutor Deus , qui operatur in vobis et velle, et facere , ad amorem suum declarandum.

VARIANS LECTIO.

Versus 12. Post ὑπηκουσατε delendum est μου, post μη vero supplendum est ὡς , et post αλλα omittendum και, ut adeo legendum sit : ὡστε, αγαπητοι μου, καθως παντοτε ὑπηκουσατε, μη ὡς εν τη παρουσιᾳ μου μονον, αλλα νυν πολλῳ, κ. τ. λ. Nam hanc lectionem præcipiunt antiquissimæ Versiones (Itala , Vulgata, Syriaca , quæ tamen non videtur legisse ὡς ante verba εν τη παρουσιᾳ μου) Patres (S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus , Oecumenius) et Codices fere omnes.

℣. 13. Articulus ὁ ante Θεος non legitur in ABCDFG. Legerunt Articulum S. Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. Dubitari potest sit-ne legendus Articulus nec-ne.

℣. 12. *Itaque , charissimi mei)*. Particula ὡστε, (ὡστε — κατεργαζεσθε) cum Imperativo constructa , ut hic , *concludit* vel adhortando vel dehortando [1]. Cf. I. Cor. X. 12. XIV. 39. XV. 58. Reddenda est *itaque* vel *quare*. Ergo hic ex Christi illa obedientia Deo præstita et tali tantoque præmio ornata (℣. 6—12), Apostolus *concludit* Philippenses suos *adhortando* , ut , sicut semper ex quo cœperant esse Christiani , Christum imitati Deo obediverant sicque salutem suam erant operati , ita porro studerent salutem suam peragere, non tantùm ea sollicitudine qua id faciebant illo excitatore præsente, sed multo magis sollicite nunc, eodem absente.

(1) Vide Hoogeveen ad hanc partic. XXIII.

sicut semper obedistis). Scil. *Deo;* nam hoc postulat contexta oratio; agitur enim de imitanda *obedientia Christi* Deo *præstita*. Verba *sicut semper obedistis*, in Vulgata pro parenthesi habentur. Causam non perspicio. Mihi certe ea verba, *sicut semper obedistis*, non videntur esse, abruptâ Syntaxi, orationi Apostoli *interposita*, sed ita *cohærere* cum sequentibus, ut sint *Protasis* ejus orationis cujus *Apodosis* est: *ita pergite obedire*. Nudata ab adjunctis oratio Apostoli hæc est, *sicut hucusque semper obedistis Deo, ita porro pergite Deo obedire;* sed illud *ita porro pergite Deo obedire* Apostolus, mutato loquendi modo, ita effert ut dicat, *cum metu et tremore*, i. e. magna sollicitudine *vestram salutem operamini*. Et vero quid aliud est *salutem suam operari*, quam facere aut non facere id quod Deus vult ut faciamus aut non faciamus, adeoque *præstare illi obedientiam*. In Protasi *ad rem* erat nominare *obedientiam*, quia ab exemplo Christi *obedientis* eos hortari volebat; in Apodosi vero, quum dicturus esset (versiculo seq.) Deum in re salutis operanda esse *adjutorem*, præstabat illam *obedientiam* exhibere tamquam *opus* aliquod peragendum.

non ut in præsentia mea tantum). h. e. *non tantum sicut me præsente id faciebatis*. Equidem fateor certiorem fore hanc interpretationem, si legeretur *μονον* post vocem *μη*, hoc modo: *μη μονον ὡς εν τῃ παρουσιᾳ μου*. Verum, aut mea interpretatio valet, aut interpretandum est: *non quasi hoc faceretis in mea præsentia tantum:* sed huic interpretationi obstat quæ sequitur Antithesis: *sed multo magis nunc in absentia mea*. Nam hæc antithesis postulat ut sumamus, Paulum ponere Philippenses, quando præsens illis erat, non fuisse oculorum, ut ajunt, servos, sed *sincere et ex animo* obediendo salutem suam curasse. Vult tamen, ut se excitatore absente, majore adhuc sollicitudine opus suæ salutis peragant. Atqui si interpretari velis: *non quasi hoc faceretis in meâ præsentiâ tantum*, antithesis periit; quia in hâc interpretatione Philippenses stimularentur tantum, ut ostendant se non serviliter et quasi Paulo præsenti placere studentes obedientiam præstitisse. Periit etiam instituta comparatio illa inter sollicitudinem majorem et minorem, quam comparationem verba ista, *multo magis*, significant. Nam comparatio postulat ut instituatur inter res ejusdem ordinis, quales non sunt *sincera cura salutis*, et id quod exprimitur in illa interpretatione: *non quasi hoc faceretis in meâ præsentiâ tantum*.

Quod autem illud *μονον* non eum in illa phrasi occupat locum, quem ex Grammaticæ *ακριβειᾳ*, ut mea stet interpretatio, occupare debeat, illud non ita me movet, ut propterea falsam eam esse credam. Et vero probare possim grammaticam illam *ακριβειαν* non raro a Paulo fuisse neglectam. Sic, ut hoc utar, ad Rom. III. 29, scripsit: *Ἠ Ιουδαιων ὁ Θεος μονον*, ubi tamen scribendum erat: *ἠ Ιουδαιων μονον ὁ Θεος*, quum vox *μονον* non *ὁ Θεος* sed *Ιουδαιων* afficiat. Pariter scripsit (ibid. IV. 16): *ου τῳ εκ του νομου μονον* pro *ου μονον τῳ εκ του νομου*. Et I. Cor. XV. 19, qui locus imprimis notandus est, *ει εν τῃ ζωῃ ταυτῃ ηλπικοτες εσμεν εν Χριστῳ μονον*, ubi scribendum erat: *ει εν τῃ ζωῃ ταυτῃ μονον, κ. τ. λ.*

cum timore et tremore vestram salutem operamini). Locutio *cum timore et tremore* (*μετα φοβου και τρομου*) passim occurrit in epistolis S. Pauli. Cf. 1 Cor.

II. 3. — Cor. VII. 15. Ephes. VI. 5. Ex quibus locis constat, locutionem illam Apostolo tantumdem valere ac si tu dicas: *magna cum sollicitudine.* Pro *operamini* Græce est Verbum Compositum κατεργαζεσθε, quod est *perficite*, *peragite*, h. e. ad finem usque agite. Quod dicit *vestram* (ἑαυτων), eam mihi videtur habere emphasin ac si scripsisset : sicut Christus obediendo Deo Patri meruit *exaltari*, ita et *ipsi vos vestram exaltationem* sive salutem æternam operemini.

Tria doctrinæ Catholicæ capita ex præsenti loco confirmari possunt. Et *primò* quidem, etiam in rebus quæ pertinent ad operandam salutem æternam, liberum esse homini arbitrium; *secundò*, bona opera quæ, auxiliante divinâ gratiâ (Cf. ℣. seq.), fideles exercent, valere ad *promerendam* salutem æternam; adeoque agnoscendum esse *meritum* bonorum operum; *tertiò*, neminem esse certum de sua perseverantia; nam *magna illa sollicitudo*, quam in negotio salutis perficiendo Apostolus vult ut continuò habeamus, *metum* continet aberrandi a recto tramite et a via salutis declinandi.

℣. 13. Quo alacrius faciant id, ad quod eos præcedenti versiculo adhortabatur, animos illis addit revocando in eorum memoriam, eos habere Deum adjutorem ad hoc præstandum.

Deus est enim qui operatur in vobis). Græce ὁ ενεργων εν ὑμιν, *hoc est*, Deus is est, qui operatur in vobis; quod dicitur *in vobis*, eo innuitur *internæ* gratiæ auxilium, quod Pelagius negabat. *Interna* autem hæc Dei in nobis *operatio* concilianda est cum illa *sollicitudine* in negotio salutis, quam Apostolus modò Philippensibus commendabat; adeoque sic docet operationem divinæ gratiæ, ut simul statuat liberum hominis in re salutis arbitrium; quod proinde per vocem ενεργων minime excluditur. Sed jam, age, videamus quid Deus *operetur* in nobis, h. e. in animis nostris. Respondet Apostolus:

et velle et perficere) Græce και το θελειν, και το ενεργειν. Hæc in antiqua Itala sic reddita erant: *et velle*, *et operari.* Et rectius, meâ quidem sententiâ, ενεργειν redditur per *operari* quam per vocem *perficere*, quæ in nostra Vulgata hoc loco legitur. Nam *perficere* proprie est *ad finem usque facere*, *absolvere*, *peragere.* Potest res aliqua *agi*, nec tamen *peragi.* Verbum *perficere*, inquam, non omninò explicat mentem Apostoli. Nam ut duo sunt eaque diversa quæ ad actum requiruntur, et *velle* actum, et *facere* actum, ita Apostolus duo hæc per repetitam conjunctionem και ab invicem distinguit, docetque tam in *volendo actum* quam in *faciendo* sive *obeundo actum*, adesse nobis *divinæ operationis* auxilium. Itaque erravit Pelagius dum docuit, et *velle* opus *salutare*, et *operari* illud, utrumque esse ex nobis, nec ad hæc opus esse gratiâ Dei [1]. Quum ergo ex doctrina Apostoli etiam *velle* nostrum in re salutis acceptum referri debeat *speciali* illi Dei operationi, minimè confundendæ cum *generali* illo, ut vocant, *concursu*, imprimis valet præsens locus ad probandam eam gratiam, quam Theologi vocare solent gratiam *prævenientem* sive *excitantem*, quâ nempe utraque animi potentia, et *intellectus* et *voluntas* divinitùs afficitur.

---

(1) Cf. S. August. *De gratia Christi.* Cap. 3 et 10.

pro bona voluntate). Græce est ὑπερ της ευδοκιας, quod Syrus Interpres male reddidit, dum vertit: *Deus enim operatur in vobis et velle et agere* ܗܘ ܡܕܡ ܕܨܒܝܢ ܐܢܬܘܢ h. e. *id quod vos vultis.* Nam ευδοκια, quæ hic dicitur, non ad *homines*, sed ad *Deum* est referenda. Est autem ευδοκια hic, ut supra I. 15, et Ephes. I. 9 *benevolentia*, *propensa animi voluntas*, uno verbo, amor Dei in homines [1].

Præpositio ὑπερ Genitivo juncta etiam *causalem* obtinet notionem, ut v. g. Joh. XI. 4. — 2 Cor. XII. 19; eaque sola hujus Præpositionis notio in præsentem locum quadrat, ut adeo sensus sit: ad benevolentiam, sive amorem suum erga nos declarandum.

Docemur hic iterum *gratuitatem* gratiæ, ut quæ non nostro alicui merito, sed gratuito Dei in homines amori tribuenda sit.

ỷ. 14—16. Omnia autem facite sine murmurationibus, et hæsitationibus: 15 ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ, et perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, 16 verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

ỷ. 15—16. *Πάντα ποιεῖτε χωρὶς ὀργῆς* ᵃ)*καὶ διαλογισμῶν*, 15 *ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, τέκνα Θεοῦ ἀμώμητα ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ*, 16 *λόγον ζωῆς ἐπέχοντες, εἰς καύχημα ἐμοὶ εἰς ἡμέραν Χριστοῦ, ὅτι οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον οὐδὲ εἰς κενὸν ἐκοπίασα.*

Paraphrasis. Quæcumque autem salutis vestræ operandæ causâ præstanda sunt, ea facite sine ulla obmurmuratione et incunctanter, ut sitis irreprehensibiles et vitæ integerrimi, filii Dei immaculati in medio hominum pravorum et perversorum, quos inter, ut in mundo lucent cœlestia sidera, vos lucetis, utpote Evangelici verbi lumen vitâ vestrâ et moribus illis admoventes. Tales, ut dixi, si vos præstatis, Philippenses, fiet indè ut nanciscar in diem Christi causam gloriandi me non inanem operam in vobis posuisse.

VARIANS LECTIO.

ᵃ) Lectio οργης glossema est; pro οργης legendum est γογγυσμων. quæ est omnium fere codicum lectio. Pro γενησθε *fiatis* (ỷ. 15) Interpres noster legit ἦτε *sitis*, eamque lectionem exhibent

---

(1) Theodoretus ad h. l. « Ευδοκιαν δε το αγαθον του Θεου προσηγορευσε θελημα· θελει δε παντας ανθρωπους σωθηναι, και εις επιγνωσιν αληθειας ελθειν. » h. e. *Eudokian* autem appellat bonam Dei voluntatem; vult autem omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. »

AD'EFG; sed pro γενησθε stant Codices BCI, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Profecto ambigi hic potest, utra germana sit lectio. Alterutra pro glossemate habenda est. Glossema autem esse mihi magis videtur lectio γενησθε quam lectio ητε, quare alteri hanc præfero.

ỳ. 14. *Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus).* ***Modus*** hic exprimitur, quo præstare debeant *omnia*, i. e. ea quæ salutis suæ operandæ causâ præstanda sint. *Murmurationes* a quibus cavendum esse Apostolus hic monet, tales intelligendæ videntur, quæ fierent *contra* præcipientem *Deum;* nam hoc innuere videtur contexta oratio, ỳỳ. 13. et 15; sic et *hæsitationes*, græce διαλογισμοι, quam vocem Interpres noster alibi (I. Tim. II. 8) reddidit *disceptationes*, intelligendæ videntur *ratiocinationes de præceptis divinis;* ut adeo Apostolus hic Philippenses doceat, Deo in omnibus obediendum esse *sine murmuratione* et *incunctanter.* Non ausim tamen dicere in errore versari eos qui putant, in præsenti monito directò non respici *Deum præcipientem*, sed ipsius nomine *præcipientes superiores* sive prælatos, quibus velit Apostolus Philippenses ut obediant, *nec obmurmurando, nec disceptando de iis quæ præcipiantur.* — Sequitur *finis* sive *scopus* præcedentis moniti.

ỳ. 15. *ut sitis sine querela et simplices).* Gr. αμεμπτοι και ακεραιοι h. e. *irreprehensibiles et simplices*, i. e. tales quibus nihil mali admixtum sit, integri vitæ. Vox ακεραιος ducitur ab α Privativo et κεραω sive κεραννυμι *misceo.* Suidas eam vocem reddit per ακακος, ὁλοκληρος, καθαρος, et Hesychius per ανεπιληπτος, καθαρος, ακακος. —

filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ). Appositio est. Filii Dei sunt Christiani per *regenerationem;* paternitas autem quæ huic *filiationi* respondet, toti SS. Trinitati communis est. Pro Latino *sine reprehensione* Græce est una vox αμωμητα, h. e. *labis* sive vitiositatis *expertes*, ab α *priv.* et μωμος *macula.* Hesychius αμωμητος explicat per αμωμος, αψογος, αγαθος η σωματι η ψυχη. Apostolus hic ob oculos habet verba Deuteron. XXXII. 5: τεκνα μωμητα, γενεα σκολια και διεστραμμένη, et quod hic dicit *in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, etc.*, per hoc mihi videtur obiter monere Philippenses, ut eo magis curent tales esse, ut dixit, quòd agerent inter homines pravos et perversos, Ethnicos puta et infideles, quos nempe eximiâ probitate vitæ a tenebris erroris ad lumen fidei Christianæ allicere deberent.

inter quos lucetis). Illud *inter quos* referendum est ad præcedens nomen collectivum *natio;* est constructio, quam κατα συνεσιν vocant, eaque non rarò occurrit apud scriptores tam profanos [1] quam sacros. Rom. IX. 23, 24. Cf. Gal. IV. 19. Coloss.

(1) Vide Kühner § 784. 785. 786.

II. 19. — Pro *lucetis* græce est φαινεσθε, quod non pro formâ Imperativi habendum est, ut Theophylacto aliisque placuit, sed pro Indicativo; *indicatur* enim his verbis, quænam sit conditio sive status Christianorum. Scribitur non φαινετε, quod est *lucetis* [1]) sed φαινεσθε a φαινομαι, quod quamquam passim notat *apparere*, *conspici* [2]), tamen etiam de *lucendo* nonnumquam dictum est [3]). Sequens comparatio postulare videtur ut hoc loco verbo φαινομαι eam *lucendi* notionem subjiciamus.

sicut luminaria in mundo). Scil. *lucent*, cujus vocis suppletionem jubet instituta comparatio. Verba εν κοσμῳ jungenda sunt cum proximè præcedenti φωστῆρες, quo vocabulo significantur corpora luminaria, sol, luna, stellæ. Ex quo genere luminariorum quædam *indefinite* cogitantur; hinc absentia Articuli ante φωστηρες. Sic Nostrates dicerent *als hemellichten*. De absentia vero Articuli ante κοσμος, videsis Winer § 18.

℣. 16. *verbum vitæ continentes*). Interpres noster Verbo επεχειν, quod hic legitur, notionem subjecit *habendi*, *possidendi*, ut fecit etiam S. Chrysostomus (ad h. l.). Nec vero negari potest vocem επεχειν in hoc significatu, etsi raro, occurrere tamen. Apostolus ergo hic *causam* exposuerit *cur* Philippenses lucerent, sicut *luminaria* lucent in mundo. Quæ causa sit, quia in se habent sive continent *verbum vitæ*, h. e. verbum Evangelicæ prædicationis, quo per fidem suscepto, in lavacro regenerationis renati sunt ad vivendum *vitá* æternâ. Participium επεχοντες resolvas in verbum Finitum (ut supra Cap. I. ℣. 16. 17) per *quippe qui habetis*. Sed tamen forsitan rectius επεχειν hic reddideris per *adhibere*, quæ usitatior est ejus vocabuli significatio. Tum vero sensus sit: inter quos lucetis, tamquam luminaria in mundo, quippe qui evangelicæ doctrinæ lumen, vitâ vestrâ et moribus, Ethnicismi tenebris adhibetis sive admovetis.

ad gloriam meam in diem Christi). Pendent hæc verba non ab his quæ proxime præcesserunt, sed a verbis istis (℣. 15): *ut sitis* αμεμπτοι και ακεραιοι, τεκνα Θεου αμωμητα. Significat autem hic Apostolus, quid ipse inde consecuturus sit, si tales sint Philippenses, quales eos esse desiderat. Consecuturus autem inde erat εις ἡμεραν Χριστου (*voor den dag van Christus*) h. e. in diem extremi judicii, καυχημα *materiam gloriandi* se non inanem operam in Philippensibus posuisse. Καυχησις est *gloriatio*, sed καυχημα *res*, de qua quis gloriatur, gloriandi materies, seu, ut barbarâ voce dicam, *gloriamentum*. Cf. Rom. IV. 2. I. Cor. IX. 15. Præpositio εις in locutione εις καυχημα sumenda est *de effectu*, ut Rom. X. 10 et Cor. IX. 15. In phrasi vero εις ἡμεραν Χριστου Præpositio εις intelligenda est eo modo quo eam intelligendam esse diximus supra, ad Cap. I. ℣ 10.

---

(1) Vid. Joh. I. 5, V. 35, et 1 Joh. II. 8.

(2) Cf. Matth. XXXIV. 27. Jacob. IV. 14, et Henr. Stephan. ad voc. φαίνομαι.

(3) Cf. Wahl. Clavis ad h. v.

quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi). Sententiam hanc *se non inanem in Philippensibus operam posuisse*, Apostolus hic exprimit *proprio* sermone et *figurato*. Nam in eo quod dicit *non in vacuum cucurri*, imagine utitur petita a cursu qui unus erat inter publicos ludos sive certamina (αγῶνες) Græcorum [1]. Eâdem imagine utitur Apostolus I. Cor. IX. 26. Gal. II. 2, et 2 Timoth. IV. 7. *Εις κενον* refert Latinorum *in cassum*, h. e. *sine fructu*.

ỷ. 17 — 18. Sed et si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ gaudeo, et congratulor omnibus vobis. [18] Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi.

ỷ. 17 — 18. Ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, χαίρω καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν· [18] τὸ δ' αὐτὸ καὶ ὑμεῖς χαίρετε, καὶ συγχαίρετέ μοι.

Paraphrasis. Sed si vel hoc accidat, ut sanguis meus, veluti libamen aliquod effundatur supra sacrificium fidei vestræ Deo assiduò a me oblatum, equidem gaudeo, deque eo vobis omnibus congratulor; atque etiam vos vicissim de eo gaudeatis, mihique congratulemini.

Quod modo dixerat Apostolus, *fiet inde ut ex vobis nanciscar causam gloriandi*, eo innuerat sperare se fore, ut non ita brevi vitæ faceret finem, sed libertati restitutus satis diu vitam produceret, ut ipse superstes Philippenses videre posset tales, quales eos desiderat. Sed quum ea spes non esset absque metu, facileque accidere posset ut brevi a NERONE occideretur, hinc ponendo contrarium ejus quod modo innuerat, pergit dicere : *sed ponamus accidere ut jamjam sim a Nerone occidendus.* Hoc vero figurata oratione Apostolus sic effert, ut dicat :

sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ). Ratio Particulæ adversativæ *sed* patet ex serie orationis, quam modo indicabamus. Scribitur hic *ει και*, quod significatione idem non est ac *και ει*. Scilicet *ει και* *casum* ponit qui *possit* accidere [2]. Conferri potest Nostratium *doch* INDIEN *ik* OOK *al eens.* Pro *immolor* græce est *σπενδομαι*, quod est *libari*, et *proprie* dicebatur de vino sacrificatæ victimæ affuso [3]. Apostolus autem *fidem* Christianam, quam Philippenses, illo prædicante,

(1) Cf. BRUNINGS, *Compendium antiqq. Græc. e profanis sacrarum.* Cap. XXVIII.

(2) Cf. HERMANNUM *ad Vigerum.* p. 832, et KLOTZ. ad DEVARIUM. p. 519. sq.

(3) Moris enim erat, inquit RAPHELIUS (ad h. l.), cæsis victimis *libamentum* superaddere, id est, vinum de patera defundere, quod ARRIANUS hac eadem phrasi dicit σπενδειν επι τῃ θυσιᾳ. *Expedit. Alex.* 6. 19. 11 : Ενταυθα ταυρους τε σφαξας τῳ Ποσειδωνι, αφηκεν ες την θαλασσαν· και σπεισας επι τῃ θυσιᾳ, την τε φιαλην χρυσην ουσαν, και κρατηρας χρυσους ενεβαλλεν ες τον ποντον χαριστηρια. « Ibi tauros NEPTUNO cæsos in mare projecit, libationeque sacrificio superadditâ, phialam auream et crateres aureos gratias agens in undas immisit. » Videsis etiam BRUNINGS, *Antiqq. Græc.* Cap. XXI. § 20.

fuerant amplexi, quamque, illo invigilante, et ore profiteri, et vita et moribus exprimere satagebant, considerat tamquam sacrificatam aliquam victimam, Deo a se assiduò oblatam ; cui victimæ, si occidatur a Nerone, sanguis ipsius ad modum libaminis affundendus sit. — Genitivus τῆς πιστεως est Genitivus *objecti* quasi *sacrificalis*, pendetque tam a θυσιᾳ quam a λειτουργιᾳ, quod eo etiam indicatur, quòd Articulus ante λειτουργιᾳ non repetitur. Voce λειτουργια significatur *sacerdotale* ministerium ; intelligitur autem hic ea, quæ assiduò fit a Paulo oblatio *fidei* Philippensium sive Philippensium *credentium*, veluti cujusdam *victimæ* (θυσια), *super* (επι) quam sanguis ejus ad modum libaminis forsan sit affundendus.

Si voci θυσιᾳ subjicias notionem *sacrificationis*, ita ut eâ ipsa sacrificandi actio significetur, Præpositio επι reddenda sit *dum*, et σπενδομαι *immolor*; tum vero hic sit hujus loci sensus : sed si vel hoc accidat, ut, dum sacer minister operor oblationi vestræ fidei, ipse immoler, meusque sanguis tamquam libamen aliquod effundatur, etc. Et fieri potest ut hic sensus, quem Grammatica non respuit et vocabulorum significationes patiuntur, verior sit eo quem priore loco posuimus.

gaudeo et congratulor omnibus vobis). Si hoc accidat, inquit, nempe ut libamen fiam, de eo non tamquam moriturus contristor, sed lætor, deque eo vobis omnibus congratulor. — Quibus verbis significat, si mortem violentam Christi causâ oppetere sibi accideret, esse se æstimaturum, felicem quamdam sortem sibi obtigisse, nec sibi tantum, sed etiam Philippensibus, quibus propterea congratularetur. — Apostolo quidem felix quædam sors esset istiusmodi mors, quum ita *mori pro lucro haberet*, (supra I. 21), et omnino cuperet *dissolvi et esse cum Christo* (ibid. ℣. 23) ; Philippensibus vero non poterat non esse utile et honorificum, si ipsorum Apostolus fidem, quam ipsis prædicaverat, tam gloriosa morte confirmaret. Quum ergo, si istiusmodi mortem oppetere sibi accideret, id tam sibi quam Philippensibus felix quidam foret eventus, ideo dicere pergit :

℣. 18. *Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi).* q. d : Atque etiam vicissim vos de eo gaudeatis, mihique congratulemini. — Et sic, quos sua nece, si accideret, contristandos haudquaquam ignorabat, jam in antecessum mirabili quodam charitatis affectu solatur.

Verbis in hac oratione Apostolus utitur Temporis Præsentis, quia rem fortè futuram tamquam præsentem cogitat.

Verbum συγχαιρω in forma *activa* etiam dici de *congratulando*, et χαιρειν etiam cum Accusativo construi, exempla probant, quæ ad hanc vocem et ad illam collegit Henricus Stephanus (*in suo Thesauro*). De Accusativo post χαιρω conferendus est etiam Kühner § 553, et *Anmerk.* 1.

℣. 19. Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me citò mittere ad vos : ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.

℣. 19. Ἐλπίζω δὲ ἐν Κυρίῳ Ἰησȣ͂, Τιμόθεον ταχέως πέμψαι ὑμῖν, ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ, γνȣ̀ς τὰ περὶ ὑμῶν.

Paraphrasis. Verùm est mihi spes in Domino Jesu reposita, fore ut brevi Timotheum mittam ad vos, ut et ego hilari animo sim, ubi res vestras cognovero.

℣. 19. *Spero autem in Domino).* Significaverat modò Apostolus (℣. 17), fieri posse ut Christi causâ e præsenti suo carcere duceretur ad mortem; sed idem paulò ante (Cap. 25) quoque significaverat spem bonam se habere, fore ut e suo carcere liberaretur. Eamdem spem etiam hic manifestat (℣. 19. et 24); eaque *opponitur* præcedenti (℣. 17) αλλ' ει και σπενδομαι, atque hinc patet nexus logicus, quem Particula *autem* (δε) hic exprimit. Sperat Apostolus *in Domino Jesu* (εν κυριῳ Ιησου); hìc Præpositio *in* notat esse ejus spem *repositam in* Christo Jesu, tamquam tali, *a quo* possit illi præstari, id quod sperat. *Re* non diversa fuisset sententia Apostoli, si scripsisset ελπιζω δε επι Κυριῳ Ιησου, sed tum spem suam exhibuisset ut *innixam* Domino Jesu, tamquam *cuidam fundamento.* Scilicet varii rem concipiendi modi varium quoque ad idem significandum pariunt Præpositionum usum. Galli dicunt *avoir confiance en quelqu'un;* Nostrates vero : *Op iemand hopen.*

Timotheum me cito mittere ad vos). Sperat Apostolus hoc sibi concessum iri a Domino, ut brevi Timotheum mittere possit ad Philippenses. Πεμψαι ὑμιν. Verbum πεμπειν Dativo junctum, ut hic, legitur præterea Jo. XV. 26.; sed in loco parallelo, Cap. XVI. 7, legitur προς ὑμας. Et Paulus qui hic scribit : Τιμοθεον πεμψαι ὑμιν, mox (℣. 15) dicet : Επαφροδιτον πεμψαι προς ὑμας. Ex quibus conficitur, Verbum πεμπειν, quamquam passim construitur cum quarto Casu et Præpositione προς, nonnumquam tamen, eodem sensu, jungi Dativo. Putem ergo πεμψαι ὑμιν in præsenti loco tantumdem valere ac πεμψαι προς ὑμας, quum contexta oratio non suadeat, ut illud ὑμιν pro *Dativo commodi* habeamus. Dativus est quem vocant *directionis* (ut supra, Cap. I. ℣. 1), de quo videsis *Kühner* § 571, *Anmerk.* 3.

ut et ego bono animo sum, cognitis quæ circa vos sunt). Quod dicit Apostolus *ut* et *ego*, eo innuit tam se, quam Philippenses gaudio afficiendos esse ex illa legatione Timothei : quemadmodum Philippenses gavisuri essent, cognitis ex Timotheo, *quæ erant circa Paulum*, ita vicissim Paulus gavisurus esset, cognitis ex Timotheo, *quæ erant circa Philippenses.* Duo ergo hic ponuntur : unum, futurum esse ut, Timotheo ad Philippenses proficiscente, res Pauli in læto sint statu; alterum, fore ut Timotheus res Philippensium tales esse comperiat, ut Paulus easdem ab eo edoctus non nisi lætari de iis possit; in quo est elegans quædam obliquæ exhortationi mixta laudatio.

℣. 20 — 22. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. 21 Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt JESU CHRISTI. 22 Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio.

℣. 20 — 22. *Οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει. 21 Οἱ πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητȣσιν, ȣ τὰ τȣ Χριστȣ Ἰησȣ. 22 Τὴν δε δοκιμὴν αὐτȣ γινώσκετε, ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον, σὺν ἐμοὶ ἐδȣλευσεν ἐις τὸ εὐαγγὲλιον.*

Paraphrasis. Nam quem mittam, præter hunc, neminem habeo pari mecum animo præditum, talem, inquam, qui germanè res vestras curaturus sit. Omnes enim sua ipsorum quærunt, non quæ JESU CHRISTI sunt. Probatam autem TIMOTHEI virtutem nostis, eum nempe, sicut patri inservire solet filius, ita mecum rei Evangelicæ promovendæ inserviisse.

℣. 20. *Neminem enim habeo tam unanimem).* Vocula *tam* abest a Græco. Exponit causam cur TIMOTHEUM potius, quam alium quemquam ad eos sit missurus. Causa est quia quem mittat præter TIMOTHEUM neminem alium secum habet, qui quidem sit illi *ισοψυχος* h. e. *pari animo præditus*, i. e. eo animo præditus, quo Apostolus *ipse* præditus erat 1). Hæc vero *ισοψυχια* eatenus hic spectatur, quatenus utriusque, PAULI et TIMOTHEI, animus ita comparatus est, ut uterque velit, nullâ commodi sui ratione habitâ, curare rem religiosam Philippensium. Patet id quod dico ex verbis quæ sequuntur: *qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit).* Pro *qui* græce est *ὁστις*, ubi *τις* eam vim habet quam latine expresseris, si dicas: neminem enim habeo *ισοψυχον*, *qui nempe;* sic *ὁστις* legitur Matth. II 6. XIII. 52. XX. 1. cet. Pro *sincera affectione* græce est *γνησιως*, h. e. *qui nempe sic ut decet.* Græce est *μεριμνησει* in Fut. *sollicitus erit*, *curabit τα περι ὑμων*, i. e. *res vestras* curabit, scilicet postquam eum ad vos misero.

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi). Rationem reddit (*γαρ*) antecedentis: *neminem habeo*, etc. Nam, inquit, *omnes quæ sua sunt quærunt*; intelligit *omnes* ministros Evangelii, quos circa se habiturus erat, quo tempore TIMOTHEUS ad Philippenses mitteretur. Nam græce est *οἱ παντες*, cum Articulo, quo indicatur sermonem esse de *certo* quodam personarum *numero*. Contigerat, inquit S. AUGUSTINUS 2), ut illo tempore quo TIMOTHEUM misit, circa se alium *de filiis* non haberet sed soli *mercenarii* cum illo essent, sua quærentes, non quæ JESU CHRISTI, et tamen ipse germanè de grege sollicitus maluit filium mittere, et inter mercenarios remanere. » Equidem non video necessarium esse ut huic effato Apostoli tribuamus omnem illam asperitatem, quam ipsæ voces præ se ferunt, præsertim quum loquatur *de omnibus*, et conciliandum sit, quod hic dicitur, cum ea laude, qua supra (Cap. I. 13. 15. 16) Romanos affecerat.

---

(1) CHRYS. THEOPHYL.

(2) S. AUG. apud VELASQUEZ, i. h. l.

℣. 22. *Experimentum autem ejus cognoscite).* Particula *autem* (δε) antithetice afficit non αυτου sed την δοκιμην. *Opponitur* ergo non persona personæ, sed *probata* notaque Philippensibus Timothei *virtus* (δοκιμη) opponitur vitio illorum, qui in re Evangelica procurandâ ad suam rem erant attentiores. Græcum γινωσκετε ancipitis formæ est; nam et *cognoscite* reddi potest et *cognoscitis*, sed hoc præfero. Etiam Syrus et Arabs formam verbi Indicativam hic intellexerunt, ut et S. Chrysostomus, et Theophylactus.

quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio). ὅτι hic valet *quod*, pro quo Latini scriberent Accusativum cum Infinitivo. Sensus est : Probatam autem Timothei virtutem nostis, o Philippenses, *eum nempe, ceu patri filium, ita mecum rei Evangelicæ inserviisse.* Nota *variatam* [1] orationis *structuram.* Exspectabas Apostolum dicturum : sicut *patri filius*, ita Timotheus mihi inservivit in re Evangelica. At non ita Paulus; sed modestiæ causâ (Vid. pag. 16), variatâ Syntaxi, ita loquitur ut Timotheum exhibeat et tamquam filium et tamquam collegam, dicendo *mecum* inservivit. Præpositio εις in locutione εις το ευαγγελιον dicta est, ut supra Cap. I. ℣. 5, *de fine* sive *scopo*, et valet *ad promovendam* rem Evangelicam.

℣. 23—24. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. 24 Confido autem in Domino quoniam et ipse veniam ad vos citò.	℣. 23—24. Τȣ̃τον μὲν ȣ̃ν ἐλπίζω πέμψαι, ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ, ἐξαυτῆς· 24 πέποιθα δὲ ἐν Κυρίῳ, ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι.	*Paraphrasis.* Hunc igitur ad vos mittere spero, quamprimùm rerum mearum exitum perspexero; sed confido in Domino fore ut et ipse brevi ad vos veniam.

℣. 23. *Hunc igitur spero*, etc.). Τουτον μεν ουν ελπιζω πεμψαι. Particulæ μεν respondit δε commatis sequentis : πεποιθα δε. — Est autem ουν hic non *concludentis*, sed *resumentis* dictum paulò ante (℣. 19).

mox ut videro, quæ circa me sunt): h. e. simul ac perspexero, quod brevi fore spero, quemnam exitum res meæ habituræ sint. Απειδειν est *prôspicere e longinquo;* Cf. Nostratium *afzien.* Quamquam, si quis dicat Præpositionem απο nihil notionis hic addere Verbo Simplici, equidem contendere nolim. Est autem απιδω Aor. 2 in Modo Conjunctivo [2]. Adverbium εξαυτης (= εξ αυτης της ὡρας) *illicò*, jungendum est cum Infinitivo πεμψαι.

℣. 24. *confido autem in Domino, etc.).* Significat Apostolus habere se fiduciam

(1) Cf. Winer. §. 54. I. in nota; et § 64. m.

(2) Cf. Matthiä *Ausfuhr. gr. Gram.* ed. 2 Lips. 1825. T. I. p. 449.

in Domino (ut supra pag. 80) repositam, fore ut *etiam ipse* (*και αυτος*) brevi eos invisere possit. Particulæ *μεν* et *δε* hic obtinent usitatam suam notionem, quæ est in significando expressam sive tacitam quamdam comparationem, aut, si mavis, oppositionem [1]. Etiam hic Apostolus innuit spem bonam se habere, fore ut e suo carcere liberetur. Nec verò esse cur credamus hanc spem eum fefellisse, supra (in Prolegom. §. 7) jam diximus.

ỹ. 25—27. Necessarium autem existimavi EPAPHRODITUM fratrem, et cooperatorem, et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: 26 quoniam quidem omnes vos desiderabat: et mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. 27 Nam et infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus: non solùm autem ejus, verùm etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

ỹ. 25—27. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην, Ἐπαφρόδιτον τὸν ἀδελφὸν καὶ συνεργὸν καὶ συστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ ἀπόστολον καὶ λειτουργὸν τῆς χρέιας μου, πέμψαι πρὸς ὑμᾶς, 26 ἐπειδὴ ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς καὶ ἀδημονῶν, διότι ἠκούσατε ὅτι ἠσθένησε. 27 Καὶ γὰρ ἠσθένησε παραπλήσιον θανάτῳ· ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς αὐτὸν ἠλέησεν· ὀκ αὐτὸν δὲ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐμὲ, ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ.

Paraphrasis. Necessarium autem duxi EPAPHRODITUM fratrem, meumque in re Evangelica coöperatorem et commilitonem, vestrum vero Episcopum atque in meam sustentando inopiam ministrum, ad vos remittere, quandoquidem vos omnes revidendi desiderio tenebatur et mœstus erat, proptereaquod audieratis illum ægrotantem. Et verò ægrotavit, atque ita quidem ut morti proximus esset; sed Deus ejus misertus est; nec ejus solùm, verùm etiam mei, ne dolor mihi ad dolorem accederet.

ỹ. 25. *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem*). Significaverat Apostolus (ỹỹ. 23. 24) ea quæ sperabat se *brevi* esse facturum; his *opponit* (*δε*) id, quod *in præsenti* faciendum esse existimaverat. Scribit *ἡγησαμην* in Aoristo, respiciens illud punctum temporis, quo accepturi essent ejus epistolam Philippenses. Scilicet quod epistolam scribenti est *ἡγεομαι*, id epistolam lecturis erit *ἡγησαμην* [2]. Eâdem ratione scribitur mox (ỹ. 28) *επεμψα*. Versiculo sequente causam exponit Apostolus, cur necessarium duxerit EPAPHRODITUM ad Philippenses remittere, etsi spem haberet fore ut brevi TIMOTHEUM ad eos ablegare posset, imo ut et ipse veniret.

et cooperatorem, et commilitonem meum). EPAPHRODITUM Apostolus *cooperatorem*

(1) Cf. KLOTZ ad DEVARIUM. Cap. XIII.

(2) Cf. WINER Gr. § 41. b. 2.

suum vocat, tamquam *socium* aliquem in opere promovendæ rei Evangelicæ; quod quum ob frequentes adversarios expugnandos, meritò pro militia quadam haberet, eumdem et *commilitonem* suum nominat.

vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ). Epaphroditum præterea vocat Philippensium *Apostolum*, hoc est, *Episcopum* [1], et tandem *publicum* eorum *ministrum* (λειτουργον) *necessitatis suæ*, hoc est, ut bene Estius interpretatur, *per quem publico nomine mihi necessaria subministrastis.* Λειτουργος (a λεῖτος *publicus* et εργον *opus*) universe dicitur de quocumque publico ministro, speciatim vero de ministro sacrorum [2].

℣. 26. *quoniam quidem omnes vos desiderabat).* Hic jam causam exponit Apostolus cur *necessarium* duxerit Epaphroditum ad Philippenses remittere. Causa erat, quia Epaphroditus *magno* desiderio tenebatur Philippenses suos revisendi. *Magnum* fuisse illud desiderium indicat Præpositio επι in Composito επιποθειν; nam et *augendi* vim ea Præpositio in Compositis habet frequenter [3]. Fuisse autem illud desiderium Philippenses *revisendi*, id non ipsum quidem verbum επιποθειν docet, sed contexta oratio. Ad *tale* desiderium exprimendum, Apostolus alibi Verbo επιποθειν addidit ιδειν, ut Rom. I. 11: επιποθῶ γαρ ιδειν ὑμας. Cf. etiam I. Thessal. III. 6. — 2. Tim. I. 4. Præterea de phrasi επιποθῶν ην nota duo hæc: *unum*, Apostolum scripsisse ην in Imperfecto, respiciendo tempus quo Philippenses epistolam ejus essent lecturi; quo tempore jam fuisset satisfactum illi Epaphroditi desiderio; nam is erat ipse earum litterarum lator (Cf. quæ supra ℣. 25. notavimus ad Aor. ἡγησαμην); *alterum*, quod loco Verbi Finiti επεποθησε scriptum hic est Participium cum Verbo Substantivo junctum; in quo non est mera periphrasis, sed Epaphroditi desiderium sic exprimitur tamquam *continuum* [4].

et mœstus erat). Gr. και αδημονῶν h. e. *animo conciderat; ægro animo erat.*

propterea quod audieratis illum infirmatum). Gr. ὁτι ησθενησε, h. e. *eum ægrotare.* Referendum est hoc tam ad *mœstus erat*, quam ad *omnes vos desiderabat*, quum Participium utrumque, επιποθων et αδημονῶν, pendeat ab ην. Quare bene Estius (i. h. l.): « Ex græcis, inquit, apparet hanc partem ad duo membra præcedentia referendam esse, ut sensus sit: Epaphroditum idcirco mœstum fuisse ac reditum suum ad Philippenses maturare voluisse, quòd non dubitaret eos, intellectâ suâ infirmitate, vehementer fuisse contristatos. His verbis tacite commendat insignem Epaphroditi erga Philippenses amorem; utpote ex quo tam hæc mœstitudo, quam illud desiderium proficiscebatur. »

---

(1) Confer quæ notavimus supra Cap. I. ad verba: *cum episcopis et diaconibus.*

(2) Cf. Suicer. ad voc. λειτουργος.

(3) Cf. Schol. Valcken. in Evang. Lucæ, Cap. I. ℣. 4.

(4) Cf. Winer Gr. § 46. 11.

℣. 27. *Nam et infirmatus est usque ad mortem).* Significat Apostolus Philippenses non inani quodam rumore falsos fuisse, quum Epaphroditus *reapse* ægrotasset, atque ita quidem, ut morti proximus esset. Particulæ *και γαρ* sunt *confirmantis* [1]). Confer Nostratium : want ook *is hy ziek geweest.* In locutione *παραπλησιον θανατῳ* vox *παραπλησιον* dicta est *adverbialiter* pro *παραπλησιως*.

sed Deus misertus est ejus). Nempe e periculo mortis eum eruendo et pristinæ sanitati restituendo ; quod beneficium divinæ misericordiæ tribuitur.

tristitiam super tristitiam). Simili modo Nostrates dicerent : *de eene droefheid op de andere.* Deus, inquit Apostolus, Epaphroditum restituendo sanitati non ipsius tantùm sed et mei hac in re misertus est, ne tristitiæ, qua ex his vinculis afficior, nova mihi accederet causa tristitiæ ex morte tanti viri.

℣. 28—30 Festinantiùs ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. 29 Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote: 30 quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

℣. 28—30. *Σπουδαιοτέρως ȣ̃ν ἔπεμψα αὐτὸν, ἵνα ἰδόντες αὐτὸν, πάλιν χαρῆτε, κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ. 29 Προσδέχεσθε ȣ̃ν αὐτὸν ἐν Κυρίῳ μετὰ πάσης χαρᾶς, καὶ τȣ̀ς τοιȣ́τους ἐντίμους ἔχετε· 30 ὅτι διὰ τὸ ἔργον τȣ̃ Χριστȣ̃ μέχρι θανάτου ἤγγισε, παραβουλευσάμενος* [a]) *τῇ ψυχῇ, ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας.*

Paraphrasis. Itaque maturius quam alias fecissem, Epaphroditum ad vos remisi, ut eum conspicati, iterum gaudeatis, et ego minore in tristitia sim. Proinde summo gaudio, et tamquam Christiani illum excipite, talesque viros magni æstimate ; nam merè propter causam Evangelii morti proximus fuit, quum valetudini suæ male consuluisset, ut quod publico vestro charitatis erga me officio deerat, ipse suppleret.

VARIANS LECTIO.

a) Pro *παραβουλευσαμενος* legendum videtur *παραβολευσαμενος*, ut legitur in ABDEFG, et in nonnullis Minusculis. Pro ea lectione facit etiam versio Itala, quæ hunc locum reddidit : *parabolatus de anima sua.* S. Chrys. Theodoret. Theophyl. et Oecum. legerunt *παραβουλευσαμενος*.

(1) Vide Hartung. Th. I. p. 137.

℣. 28. *Festinantius ergo — gaudeatis)*. Ergo, inquit, ut vos levarem mœrore, in quo eratis ob acceptam notitiam de Epaphroditi valetudine, eum ad vos remisi *festinantius*, *quam alias fecissem.* — Scilicet alterum membrum Comparationis reticetur [1], ut supra, I. 12. Vox παλιν (*iterum*) jungenda est cum χαρητε : *ut iterum gaudeatis eum conspicati*, *vesterque ille mœror in gaudium convertatur.*

et ego sine tristitia sim). Græce est : κἀγω αλυποτερος ᾦ, h. e. *et ut ego minore in tristitia sim.* Philippensium gaudium etiam suum facit Apostolus. Si gaudent illi, minus habet tristitiæ ipse, αλυποτερος est. *Tristitiam* hic eam intelligas, qua ex suis vinculis afficiebatur; nam quamvis in patiendo ob Christi causam pectus illud apostolicum ineffabili quodam gaudio exultabat, non ideo tamen ad carceris ærumnas sine sensu erat natura quam gerebat Paulus humana.

℣. 29. *Excipite itaque illum cum omni gaudio)*. Apostolus per Particulam ουν concludit ex ℣. 28, quasi diceret: quum Epaphroditum festinantius ad vos remiserim, ut viso eo, etc., vos *proinde* excipite illum *cum omni gaudio,* h. e. *summo,* ut supra Cap. I. 20. Quod additur *in Domino* jungendum est cum προσδεχεσθε, eoque actus ille *excipiendi* Epaphroditum ita præstandus innuitur, ut præstandus est a *Christianis.*

et ejusmodi cum honore habetote). h. e. et hujusmodi viros, qualis Epaphroditus est, magni æstimate, et debito honore afficite. — Etsi Apostolus hic loquatur universe, tamen Epaphroditum præcipue ob oculos habet, atque hunc inprimis Philippensibus *commendat.* Sequitur ratio, ob quam tantopere commendabilis sit.

℣. 30. *quoniam propter opus Christi, usque ad mortem accessit)*. Epaphroditus, inquit, non sui alicujus commodi causâ, sed *mere propter opus Christi*, etc. Emphasim habent verba *propter opus Christi*, ut in principio sententiæ posita. *Opus Christi* hic intelligitur *res evangelica*; puta Apostolum scripsisse *propter causam Evangelii*; itaque Metonymia est in voce *Christi*, isque Genitivus habendus est pro Genitivo *objecti.* Pro Latino *accessit* græce est ηγγισε, h. e. *appropinquavit*, quasi dicas: eo usque fuerat progressus, ut non nisi uno gradu a morte distaret. Ceterum illud μεχρι θανατου ηγγισε *ipsâ re* non differt a superiore illo (℣. 27) ησθενησε παραπλησιον θανατῳ. Epaphroditum hic intelligas causam Evangelii juvasse *indirecto modo*, scilicet ministrando Paulo, qui erat rei Evangelicæ promotor.

tradens animam suam). Græce : παραβολευσαμενος τῇ ψυχῃ. Verbum παραβολευεσθαι a quo Participium illud derivatur, apud græcos scriptores occurrere certis exemplis adhuc probatum non est; sed passim occurrit vox παραβολος, qua

---

(1) Vid. Winer. § 36. 3.

significatur *audax* aliquis suique *periclitator* 1. Quum autem et περπερευεσθαι a περπερος, et αλογευεσθαι ab αλογος dicta sint [2], non est cur multum dubitemus, quin et Verbum παραβολευεσθαι a παραβολος derivatum in usu fuerit, etsi exempla desiderentur. Verbum παραβολευεσθαι ad analogiam ceterorum hujusmodi verborum reddo *periclitator esse* [3]. Dativus ψυχῃ (*respectu vitæ suæ*) est Dativus, quem vocant, *relationis*. Totam phrasin Gallice verterem : *il a mis sa vie en danger*. Sensus est : Epaphroditus tam diligenter operam mihi dedit, ut valetudinem suam neglexerit, et gravi morbo contracto, vitæ periculum adierit. — Si legere mavis παραβουλευσαμενος, vertendum illud erit *malè vitæ suæ consulens*, quod *ipsâ re* non differt a superiore interpretatione.

ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium). Hæc pars exprimit *ob quem finem* Epaphroditus vitæ periculum adierit. Λειτουργια quæ hic dicitur, ipsa illa est, quæ supra ŷ. 25 intelligitur in voce λειτουργος, adeoque significatur Philippensium *publicum* illud charitatis erga Paulum *officium*, cujus Epaphroditus omnium Philippensium nomine erat λειτουργος. Vox ὑμων jungenda est cum voce ὑστερημα, sed non jungenda est cum voce λειτουργιας, neque enim scribitur το ὑστερημα της λειτουργιας ὑμων.

Philippenses non satis habuissent pecuniario aliquo dono Paulo succurrere, sed etiam perlibenter ipsi sese ministros vincti sui Apostoli præstitissent, si id facere potuissent. Erat ergo in illo charitatis *erga* (προς με) Paulum *publico officio* (της λειτουργιας) hic Philippensium (το ὑμων) *defectus* (ὑστερημα), quod, quum Paulum non haberent præsentem, non potuerant, sicut alias libenter fecissent, ipsi per se ipsos illi ministrare ; sed hoc ὑστερημα Philippensium Epaphroditus suppleverat (ανεπληρωσε), idque tam diligenter, ut morbo inde contracto, vitæ adiisset periculum.

---

(1) *Parabolani* in primitiva Ecclesia dicebantur illi, qui operam suam, imprimis grassante peste, nosocomiis accommodabant. De *Parabolanis* videsis Binterim, *Denkwurdigkeiten*, Band. VI. Th. 3. p. 46. seq.

(2) Vide Winer. §. 16. I.

(3) Vide Winer §. 31. 3.

CAPUT TERTIUM.

Argumentum. *Apostolus jam finem scribendi facturus, excitatur ad Philippenses suos monendum, quod jam alias fecerat, ut sibi caveant a doctoribus Judaizantibus, in quos propterea vehementer invehitur* (1–2). *Jactant isti, inquit, suam circumcisionem, quæ tamen non est nisi carnis quædam concisio; circumcisi verè ita dicti nequaquam isti sunt, sed nos Christiani, ut qui mente Deum colimus, fiduciamque nostram collocamus in* Jesu Christo, *non verò aut in carnali circumcisione, aut in genere ducto a* Jacobo, *aut in legali quam vocant justitia, aut in aliis istiusmodi rebus externis* (3). *Quamquam me quod attinet, ita dicere pergit, amplior mihi est istiusmodi fiduciæ materia, quam alteri cuipiam* (4); *idque statim probat* (5–7). *Sed hæc omnia, ait, et despexi et despicio, ut* Christum *lucrificiam, et justus sim justitiâ illâ, quæ fundatur in fide* Christi, *atque ita experimento cognoscam resurrectionis* Christi *efficaciam, illique compatiar illius morientis imaginem in me referens* (7–11), *in eum finem ut, si quo modo possim, perveniam ad beatam illam resurrectionem mortuorum, quam justi exspectant* (11). *Non æstimat se jam quasi in manibus tenere illud cœlestis vitæ præmium, sed summo studio se contendere ait ad illud βραβειον obtinendum* (12–13); *idemque repetit, ad Philippenses directò sermonem suum convertendo, ut eos suo exemplo doceat demissè de se sentire* (15-17); *ceterùm monet ut ire pergant qua incedunt via* (16), *et ipsum imitentur, eosque ad imitationem observent, qui vitam suam instituant ad exemplum, quod ipse illis præbuisset* (17); *multos enim esse, quibus exosa sit vivendi ratio ad normam legis Christianæ composita, quique vitam agant voluptuariam, non nisi terrena cogitantes, terrena curantes* (18–19), *quum nos, inquit, e contrario hic degimus tamquam cives cœli, unde etiam, ut remuneratorem nostrum, præstolamur Dominum* Jesum Christum *qui transformaturus est corpus nostrum, ut tale sit, quale est corpus ejus gloriosum* (20–21).

℣. 1. De cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.	℣. 1. Τὸ λοιπὸν, ἀδελφοί μου, χαίρετε ἐν Κυρίῳ. Τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές.	*Paraphrasis.* Quod reliquum est, fratres mei, gaudete in Domino. Eâdem de re vobis scribere me quidem non piget, vobis vero tutum est.

De cetero, fratres mei, gaudete in Domino). Græcè το λοιπον, pro quo Latini scriberent *quod reliquum est*, ellipticè dicitur pro κατα το λοιπον μερος. Occurrit et sine Articulo λοιπον in 2 Cor. XIII. 11. Jam το λοιπον etsi meræ transitioni *nonnumquam* inserviat, ut I. Thessal. IV. 1, *plerumque* tamen formula est ad finem properantis, pro qua et in præsenti loco το λοιπον habeo. Puto enim Apostolum voluisse hìc, additis solùm gratiarum actione ob donum Philippensium et brevi parænesi, finem suæ imponere epistolæ. Colligo id tum ex eo, quòd alibi pari modo (2 Cor. XIII. 13 : λοιπον, αδελφοι, χαιρετε, et 1 Thess. V. 16 : παντοτε χαιρετε) ad finem scribendi properat ; tum etiam inde quòd illud χαιρετε εν Κυριῳ nullam habet cum sequentibus (τα αυτα γραφειν, etc.) cohærentiam. Itaque putem incœptam verbis χαιρετε εν Κυριῳ parænesin, qua epistolam suam clausurus erat Apostolus, hic fuisse interruptam, resumptam vero infra Cap. IV. 4 verbis iisdem : χαιρετε εν Κυριῳ. Interruptio hæc, si non aliam causam habuerit, tribui poterit Spiritui Sancto, mentem Pauli dirigenti ut quædam scriberet, quæ alias non fuisset scripturus. Quid sibi velit illud *gaudete in Domino*, vide infra ad Cap. IV. 4.

Eadem vobis scribere). Quæ sunt illa? Ea de quibus ad Philippenses jam ante scripserat in *alia* epistola ; nam plures unâ ab Apostolo ad Philippenses datas fuisse epistolas ex S. Polycarpi ad Philippenses epistola sat certo colligitur [1]. Et jam ipsa per se res verisimilis est ; nam quum jam antea Philippenses bis pecuniarium aliquod subsidium Paulo misissent (Cf. Cap. IV. 16), pronum est judicare etiam tum eum fecisse, quod nunc fecit, missâ epistolâ, inquam, illis ea de re gratias egisse. Altera autem hæc epistola interciderit, quemadmodum intercidit et ea epistola, de qua mentio est in I ad Cor. Cap. V. 9.—Itaque in superiore illa ad Philippenses epistola, Apostolus illos monuerit ut sibi caverent a doctrina Judaizantium, eorum, inquam, qui legem Mosaicam Christianis servandam esse docerent ; nam ea de re hic deinceps loquitur. Atque hinc patet quænam sint illa *eadem* (τα αυτα).

mihi quidem non pigrum). h. e. me quidem non piget. Ad οκνηρον supple εστι.

vobis autem necessarium). Gr. ασφαλες i. e. *tutum*, sed activo sensu : *aptum ad vos tutandos.*

---

(1) Cf. quæ de hac quæstione diximus in Prolegom. §. 8.

℣. 2—4. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. 3 Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in CHRISTO JESU, et non in carne fiduciam habentes, 4 quamquam ego habeam confidentiam et in carne.

℣. 2—4. *Βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν. 3 Ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομὴ, οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες, καὶ καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες· 4 καίπερ ἐγὼ ἔχων πεποίθησιν καὶ ἐν σαρκί.*

Paraphrasis. Observate canes, observate malos operarios, observate concisos! Nam circumcisi verè ita dicti nos demùm sumus, nos, inquam, qui per Spiritum Sanctum Deum colimus, et gloriamur in CHRISTO JESU, et non in carne nostram habemus fiduciam; quamquam, ad me quod attinet, non mihi desunt causæ habendi istiusmodi fiduciam.

VARIANS LECTIO.

Interpres noster legerit πνευματι Θεω, quum ℣. 3 reddiderit *qui spiritu servimus Deo.* Ante S. HIERONYMUM variabat hoc loco Latinorum lectio. Nam S. AMBROSIUS (Lib. 2. de Spir. S.) tertium hunc versiculum sic citat : *Nos enim sumus circumcisio qui spiritui* (sic) *Dei servimus;* et deinde addit : « Quod si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, Græcos inspiciat codices et advertat quia ibi scriptum est, οἱ πνευματι Θεου λατρευοντες, quod interpretatur Latinus : *qui spiritui Dei servimus.* » S. AUGUSTINUS verò (Lib. 3. *Contra duas Ep. Pelag.*) præsentem locum sic recitat : *Nos sumus circumcisio, qui Spiritu Deo servimus*; sed mox addit : « Vel sicut nonnulli codices habent : *qui spiritui Deo*, vel *spiritui Dei servimus.* » Et Lib. 1 *De Trin.* hæc habet : « *nos enim sumus circumcisio, spiritui Dei servientes*, quod est in græco λατρευοντες. Plures enim codices etiam Latini sic habent, *qui spiritui Dei servimus*, græci autem omnes, aut pene omnes [1]. » Ex his conficitur communem eo tempore Græcorum Codicum lectionem fuisse non Θεω sed Θεου. Exhibent Θεου etiam ABCD**EFGI, et Minusculi multi, multique Patres, quos recenset SCHOLZ. Lectio Θεω non omni tamen auctoritate destituitur; nam et antiqua Itala eam exhibet, et versio Syriaca, et Patres aliqui, variique Minusculi; attamen auctoritas longe præponderans stat pro lectione Θεου, quam ideo quoque pro germana PAULI scriptura habemus. Conjicio lectionem Θεω originem suam debere uni alterique librario male sedulo, qui propter sequens λατρευοντες pro Θεου scribendum esse putaverit Θεω, nesciens λατρευειν etiam *absolute* construi.

℣. 2. *Videte canes*, etc.). Quum acerba quæ hic legitur objurgatio in præcedenti

(1) Apud SABATIER.

oratione minime præparata sit fiatque omninò ex abrupto, facile crediderim esse hæc verba repetita ex deperdita illa epistola, in qua, post sermonem de doctoribus Judaizantibus, ea dicta fuerint ad modum epiphonematis. Vehementem quemdam affectum notat illud ter repetitum βλεπετε, quod Vulgata reddidit *videte*; et recte quidem; neque enim vertendum erat *cavete*, ut Marc. ℣. XII. 38, quum βλεπετε hic non construatur cum Præpositione απο, ut fit illic. *Βλεπετε* est *attendite*[1], scilicet *ut vobis caveatis*, quæ specifica notio Verbo βλεπετε hic competit ex oratione contexta; confer Nostratium *let* (*pas*) *op de honden!* — Non *diversi*, sed *iidem* sunt quos Apostolus hic vocat primò *canes*, tum *malos operarios*, ac postremò, abstracto usus vocabulo pro concreto, *concisionem*; intelliguntur autem Judaizantes illi magistri Judæo-Christiani. Cur *canes* vocat? Judæi, gens sancta, quibus canis erat animal unum ex *impuris*, eo nomine designabant *Gentiles*, utpote tales qui non essent ex *gente sancta*, utpote profanos. *Genti sanctæ typicæ* successit gens sancta antitypica, gens, inquam, Christiana; ut adcò secundum eum loquendi modum profani sint, h. e. *canes*, quicumque sint *extra* eam gentem[2]; itaque fieri potest ut magistros illos Judaizantes Paulus *canes* vocaverit, tamquam tales qui essent extra Christum; nam ad Gal. V. 2. 4. dicit: *Ecce ego* Paulus *dico vobis: quoniam si circumcidamini*, Christus *vobis nihil proderit.... Evacuati estis a* Christo, *qui in lege justificamini, a gratio excidistis*. Forsitan, quæ Estii conjectura est, *canes* eos vocavit, *quia verbo Dei a veris Apostolis prædicato passim adlatrabant, et prædicatores ejus mordebant, lacerabant, persequebantur.»* Quid obstat, quominus putemus Apostolum eos ita vocasse, et hoc sensu et illo?

Videte malos operarios). Quidni *mali*, quum isti suo *opere* nihil ædificarent, sed *destruerent*, et *fundamentum* quidem ædificii? *Fundamentum enim aliud*, inquit, (I Cor. III. 11) *nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est* Christus Jesus. Nam, ut docet Galatas II. 21, *si per legem justitia, gratis* Christus *mortuus est*. Atqui Judaizantes isti, ut notat Estius (in Ep. ad Galàt. Cap. II. 21), solam legem sibi ad justitiam sufficere arbitrabantur; et tantum opus esse, ut eam propositam et cognitam viribus liberi arbitrii quisque exequeretur. Christum autem recipiebant ut doctorem et exemplar justitiæ, non vero ut redemptorem et datorem gratiæ ac salutis. »

Videte concisionem). Judæos passim (ut Rom. XV. 8. Gal. II. 7) Apostolus nominat *circumcisionem* (την περιτομην), vocem *abstracti* adhibens pro *concreti* voce *circumcisi* (περιτετμημενοι). Hoc verò loco Judæos Pseudo-doctores non *circumcisionem* (την περιτομην) sed *concisionem* (την καταοτμην) vocat, paronomasiâ usus ironia plena: *let op de* versnyding!

℣. 3. *Nos enim sumus circumcisio*). Illud *nos* in principio sententiæ positum eam

---

(1) Vide Winer. §. 32. 1.

(2) S. Chrys.

habet emphasim quasi dicat : non isti qui circumcisionem suam jactant, sed nos demùm sumus circumcisi verè ita dicti (*les vrais circoncis*). « Est circumcisio, ait S. THOMAS, signum fidei ABRAHÆ de CHRISTO. Ille ergo circumciditur, qui interius per Spiritum sanctum renovatur in CHRISTO, qui est veritas circumcisionis. » *Circumcisi estis*, Christianos Colossenses (Cap. II. 11) alloquens dicit Apostolus, *circumcisione non manufacta, in exspoliatione corporis carnis*, *sed*[1] *in circumcisione* CHRISTI.

qui spiritu servimus Deo). Longe probabilior, ut diximus, est lectio hæc : *οἱ πνευματι Θεου λατρευοντες*, i. e. *qui per Dei Spiritum* (Spiritum Sanctum) Deum *colimus*. Et sensus est : qui per Spiritum Sanctum renovati, ab illo *acti* (illo in nobis et nobiscum operante) Deum colimus. Confer quæ leguntur ad Rom. VIII. 13. 14 : *Si autem Spiritu* (*πνευματι*) *facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei* (*πνευματι Θεου*) *aguntur, ii sunt filii Dei*.—Verbum *λατρευειν* etiam *absolute* dici *de colendo Deum*, id quidem constat ex Luc. II. 37. Act. XXVI. 7. Hebr. IX. 9.

Secundum Vulgatæ lectionem hic sensus est : Circumcisi verè ita dicti sumus nos, nos, inquam, qui Deum colimus *spiritu*, id est, mente secundum interiorem hominem, cultu interno. In utraque interpretatione vox *πνευματι* habenda est pro Dativo *Instrumenti*.

et gloriamur in CHRISTO JESU *et non in carne fiduciam habentes*). Sensus est : justificationem nostram (Cf. ℣. 9) JESU CHRISTO acceptam referimus, et de illo tamquam justificationis nostræ causâ meritoriâ gloriamur ; *ipse factus est nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* (I Cor. I. 30) ; non verò *fiduciam* nostram collocamus *in carne*, hoc est, non verò confidimus nos justificari per *res carnales*. Hujusmodi res erant, carnis circumcisio, genus ductum a JACOBO Patriarcha, accurata Legis observantia, cet., ut patet ex ℣℣. 5 et 6. — Interpres noster resolvendo prius Participium *καυχωμενοι* in Verbum Finitum, alterum Participium *πεποιθοτες* sine causa retinuit. In locutione *καυχᾶσθαι εν Χριστῳ* Præpositio *εν* hanc mihi videtur habere vim, ac si Apostolus dixisset : in JESU CHRISTO est fundamentum nostræ *καυχησεως*.

℣. 4. *quamquam ego habeam confidentiam et in carne*). Per occupationem hæc subjicit. Non ideo, inquit, nego esse ponendam fiduciam in prærogativis illis carnalibus, quòd illæ mihi desint ; nam mihi quidem etiam (*και*) hac in parte causa fiduciæ habendæ minimè deest. « Solent fere homines ea contemnere in aliis, quæ ipsi nesciunt aut non habent. At ego, inquit, habeo quod in aliis contemno, ac possem, si vellem,

(1) Delendum est *sed*, quod hic in Vulgata legitur. Pro *non manufactâ* græce dicitur una voce *αχειροποιητῳ*. *Exspoliatio* (*επεκδυσις*) *corporis carnis* non intelligenda est de abscisso per circumcisionem præputio, sed de *exuto vetere homine*, qui et *corpus peccati* ab Apostolo vocatur : *Vetus homo noster*, inquit, *simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*. Rom. VI. 6.

perinde ut illi, in carne gloriari et confidere. » *Estius in h. l.* Græce est *quamquam ego habens;* scilicet Interpres noster Participium εχων resolvit in verbum Finitum. Ad εχων non est supplendum ειμι, quum Particula καιπερ constanter soleat jungi Participio [1]; sed pendet εχων a præcedente (ỷ. 3) εσμεν, ut et tria reliqua Participia. Sed sicut in Plurali dixerat λατρευοντες, καυχωμενοι et πεποιθοτες; nempe de re sibi et Philippensibus communi, ita non poterat eodem Numero usus, dicere καιπερ εχοντες, quum illud εχειν πεποιθησιν και εν σαρκι in ipsum solum quadraret, non vero in suos Philippenses. Ab his ergo se hactenus eximit per εγω εχων, Singulari jam utens Numero. Vox πεποιθησις, ut patet, hic non notat *fiduciam*, quam Paulus reapse ponat *in carne*, sed quam jure posset ponere *in carne*, si de causa justificationis ita sentiret, ut sentiebant illi contra quos agebat. Præpositio εν dicta hic est de eo, *in quo* hæc πεποιθησις quasi *reposita* est.

ỷ. 4—6. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, 5 circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, 6 secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela:

ỷ. 4—6. *Εἴ τις δοκεῖ ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκὶ, ἐγὼ μᾶλλον· 5 Περιτομὴ [a] ὀκταήμερος, ἐκ γένους Ἰσραὴλ, φυλῆς Βενιαμὶν, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, κατὰ νόμον Φαρισαῖος, 6 κατὰ ζῆλον διώκων τὴν ἐκκλησίαν, κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος.*

Paraphrasis. Si quis alius censetur habere cur in carne confidat, talis censendus sum ego magis: circumcisus sum octavo post nativitatem die, oriundus ex stirpe Jacobæâ, Benjamita, prognatus Hebræus ex patre et matre Hebræis; ad interpretationem legis quod attinet, Pharisæus; quod ad zelum pro instituto Mosaico, Christianorum persecutor; et ad legalem quod attinet justitiam, talis, quem nemo jure reprehenderet.

VARIANS LECTIO.

a) Pro περιτομη legendum est περιτομῃ in Dativo, idque ex auctoritate Codicum ætate et numero præstantiorum. ỷ. 6. Vox *Dei*, quæ in Vulgata hic legitur, glossema est; eam vocem codex Græcus agnoscit nullus.

(1) Cf. Hebr. V. 8. VII. 5. Excipitur tantum καιπερ εστι Apoc. XVII. 8, sed ibi variat lectio. Videsis et Devar. ad και τοι.

Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis). *Si quis alius*, puta Judaïzantium aliquis eorum, contra quos agit; δοκει *censetur*, *existimatur*, ut Luc. XXII. 24. — I Cor. XII. 22; πεποιθεναι εν σαρκι *habere cur confidat in carne*, *ego magis*, suppleas : censendus sum talis, qui habeat cur in carne confidat. Cujus præstantiæ causas deinde exponit.

ỷ. 5. *Circumcisus octavo die*). Græca περιτομῃ (nam sic legendum est, non in Nominativo περιτομη) οκταημερος Latine vertas : *ad circumcisionem quod attinet*, *octiduus*; nam περιτομῃ est hic Dativus [1] quem vocant *relationis*, ut v. g. I. Cor. XVI. 20. Sensus est : non tamquam proselytus aliquis provectiore demum ætate circumcisus fui, sed octavo post nativitatem die, sicut lege Mosis præcipitur [2].

ex genere Israël). h. e. ex stirpe Jacobæâ oriundus, non vero ex aliquo parente proselyta.

de tribu Benjamin). Non ex tribu quâcumque, sed ex tribu Benjamin, quæ tam regiæ tribui quam sacerdotali perpetuò manserat unita, quum ceteræ tribus et a legitimo suo rege, et a vera religione defecissent.

Hebræus ex Hebræis). i. e. natus Hebræus ex utroque parente Hebræo, tam patre quam matre.

secundum legem Pharisæus). Hactenus egit de præstantia suæ originis. Quæ sequuntur ad vitæ suæ institutum pertinent. Sensus est : quod attinet ad interpretationem Legis Mosaicæ, Pharisæus. — Pharisæi autem censebantur Legem interpretari quam religiosissimè.

ỷ. 6. *secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei*). h. e. quod attinet ad zelum pro Religione Mosaica, persecutor Christianorum. — Quum Apostolus dicere nequiverit se in præsenti Christianos persequi, cogimur Participium διωκων, quod hic legitur, *Substantivè* sumere, quamquam aliàs Participium *Substantivè* non adhibeatur nisi addito Articulo, v. g. Galat. I. 23 ὁ διωκων ἡμας. Cf. Winer § 46. 4.

secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela). Pro *conversatus sine querela* græce est : γενομενος αμεμπτος i. e. *effectus irreprehensibilis*. Sensus est : Quod attinet ad justitiam legalem, omnes me habebant pro viro accuratâ

---

(1) Cf. Winer § 31. 3.

(2) Ου γαρ ὡς προσηλυτος την περιτομην ἐδεξαμην. h. e. *Non enim tamquam proselytus accepi circumcisionem*. Theodoretus in Commentario suo in Ep. ad Philippenses. ad h. l.

(3) De Pharisæis vide Nic. Serarii *Trihæresium*.

legis observatione præstantissimo. — *Justitiam*, de qua hic Apostolus, intelligo esse IN *Lege*, ut IN *continente* eam, eamque quodammodo tribuente illi, qui ad ejus normam omnem vitæ suæ rationem componat.

℣. 7. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter CHRISTUM detrimenta.

℣. 7. Ἀλλ' ἅτινα ἦν μοι κέρδη, ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χριστὸν ζημίαν.

Paraphrasis. Sed quæcumque habebam istiusmodi commoda sive lucra, ipsa hæc, CHRISTI causâ, pro damno habenda esse duxi.

℣. 7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc— detrimenta*). Pro *quæ* Græce est ἁτινα, h. e. *quæcumque*, nempe ex genere eorum, quæ modo recensebat. Sensus: Sed quæcumque, inquit, istiusmodi habebam lucra (*avantages*), ipsa hæc (ταυτα) CHRISTI causâ pro damno (ζημιαν) habui. Si vero μοι sumas pro Dativo *judicii*, quod non ausim improbare, sensus erit hic: sed quascumque istiusmodi res aliquando pro vario lucro habebam, hasce ipsas deinde CHRISTI causâ pro damno (rebus damnosis et noxiis) habui. Quid sibi velit Apostolus per illud δια τον Χριστον, ipse mox exponit.

℣. 8—11. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU CHRISTI Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut CHRISTUM lucrifaciam, 9 et inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est CHRISTI JESU: quæ ex Deo est justitia in fide 10 ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus,

℣. 8—11. Ἀλλὰ μενοῦνγε [a)] καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου μου, δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην, καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, ἵνα Χριστὸν κερδήσω, 9 καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει· 10 τοῦ γνῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ,

Paraphrasis. At enimvero etiamnum duco omnia illa lucra esse damnum ob præstantiam bonorum, quæ confert cognitio JESU CHRISTI Domini mei dilectissimi; cujus causa lucrorum omnium illorum jacturam feci, eaque pro stercore habeo, ut ipsum lucrifaciam, et tamquam mystici ipsius corporis membrum, assiduò inveniar in illo meam non habens ex observatione Legis partam justitiam, sed habens illam, quæ apprehenditur per fidem Evangelio præstitam, illam, inquam, quæ a Deo auctore est et fidei superstruitur,

et societatem passionum illius : configuratus morti ejus. 11 si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis :

καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ, συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ, 11 εἴ πως καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν.

ut ita Christum experientiâ cognoscam, et efficaciam resurrectionis ejus, et communionem perpessionum ejus, ipsius morientis imaginem in me referens, in eum finem, ut, si quo modo possim, perveniam ad beatam illam resurrectionem mortuorum, quam justi exspectant.

VARIANS LECTIO.

a) Pro μενουνγε legendum est μεν ουν, quæ lectio pro se habet testes plures et præstantiores, quam habet lectio μενουνγε. In Vulgata ante *existimo* lege *et*, ex testimonio Codd. Græc. omnium.

ỳ. 8. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse*). Græca αλλα μεν ουν και ἡγουμαι reddenda sunt : *at enimverò*[1] *et existimo*. Particula αλλα vim hic habet *copulativam* potius quam *adversativam*[2]. Præterito ἡγημαι (ỳ. 7) additur hic etiam Præsens ἡγουμαι. Sensus est : Jam olim illa (τα παντα) pro damno habui (ἡγημαι), sed et habeo (ἡγουμαι) etiamnum pro damno omnia (παντα) illa quæ mihi fuerant lucra ; aut, secundum alteram interpretationem, quæ olim in lucris ponebam. Et hoc *propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei*). Pro Latino *eminentem scientiam* græce est : το ὑπερεχον της γνωσεως, h. e. *præstantia scientiæ*. Vox ὑπερεχον Participium est *Substantivi* loco adhibitum, indèque cum Genitivo constructum. Belgice vertas : *het overtreffende der kennis*. Est hæc eminentia sive præstantia scientiæ Christi *ratio* (δια cum Acc.), *ob quam*[3] omnia illa lucra (τα παντα, et olim *censuit* esse res damnosas, et etiam nunc *censet*. Novit Apostolus quæ lucra (*avantages*) inveniantur in Christo, ex eâque cognitione (γνωσις) videt ea, quæ in Mosaismo habebat lucra, nullius esse pretii, imo veriùs res esse damnosas, quia nempè impediunt lucrari Christum. Est ergo Genitivus *Jesu Christi* hic Genitivus *objecti*. Quod

---

(1) Cf. Viger. Cap. VIII. Sect. VIII. XV.

(2) Cf. Devar. Cap. 1

(3) Vid. Winer § 53. c.

vero addit Apostolus *Domini mei*, eo iterum prodit animum suum tenerè Jesum amantem.

propter quem omnia detrimentum feci — stercora). Græcum εζημιωθην (Aor. Pass.) vertas ita : illorum *omnium* lucrorum (τα παντα) *affectus sum jacturâ*. τα παντα in quarto Casu ponitur, nam dicitur ζημιουμαι τι. Cf. Matth XVI. 26 (1). — Sensus est : Cujus causâ (δι' ὁν) omnia illa (τα παντα) lucra perdidi et duco excrementa esse. (*Tous ces avantages-là j'en ai été depouillé à cause de lui ; et à cause de lui je les regarde comme des ordures*. Hæc maximi contemtûs verba dicta quidem sunt in τα παντα (in accuratam observationem Legis, et in cetera, quæ supra (℣. 5. et 6) recensuit, non tamen in res illas ipsas, sed quatenùs considerentur tamquam per se potentes ad vere et coram Deo justificandum,

ut Christum lucrifaciam). Significat hac parte Apostolus, quid *intendat* (ἱνα) in contemnendo omnia illa lucra (τα παντα), ac si hæc totidem essent excrementa ; nempe Christum *lucrifacere* intendit. Est autem actus lucrifaciendi Christum actus quidam continuus, aut si placet, multiplex, propter varia bona quæ hominibus sunt in Jesu Christo reposita. Nam et credendo in ipsum quasi fundamentum ponunt, cui vera justificatio a Deo superstruitur, itàque Christo incorporantur ; et vivendo in ipso, sicut palmites in vite, ferre possunt bonorum operum fructus ; et moriendo in ipso gloriosæ ipsius resurrectionis fiunt consortes, vitâ beandi æternâ. Hinc intelligitur quo modo Paulus, qui jam et renatus erat in Christo, et in ipso vivebat, tamen dicat : *ut Christum lucrifaciam*. Scilicet intendebat lucrum quod est in continuò *manendo* in Christo, et aliquando cum ipso triumphando.

℣. 9. *et inveniar in illo*). Paulus, ut justificatus per fidem Christi, jam *est* in Christo sed vult numquam non in illo *inveniri* tali modo, quali ipse se porrò describit.

non habens meam justitiam, quæ ex lege est). Vult in Christo continuo inveniri *ut non habens suam suis naturæ viribus sine fide et gratia* Christi ex *observatione Legis acquisitam justitiam, sed habens*, etc.

sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu quæ ex Deo est justitia in fide). h. e. Sed habens justitiam quæ habetur δια πιστεως Χριστου, i. e. per fidem Evangelio præstitam. *Evangelium* intelligas, quo sensu Salvator noster Apostolis suis dixit : *Euntes in mundum universum, prædicate* Evangelium *omni creaturæ ; qui* crediderit *et baptizatus fuerit, salvus erit*. Itaque Metonymia est in voce Christi, isque Genitivus habendus est pro Genitivo *objecti*.

quæ ex Deo est justitia in fide). Justificatio hominis est a Deo, tamquam a causa *efficiente*. Varias justificationis causas recensent Patres Tridentini Sess. VI. Cap. VII. Quod additur *in fide*, græce est επι τη πιστει, h. e. *super fidem*. Quæ verba

---

(1) Cf Winer § 32. 5.

hi videntur jungenda esse cum proxime præcedentibus ; etsi fatear Syntaxin hic esse ulò laxiorem. Mens Apostoli , ni fallor, hæc est ut dicat : Sed habens justitiam uam Deus efficit , *super fidem* tamquam super aliquod fundamentum eam struendo.

Hominem per fidem justificari et *gratis* quomodo intelligendum sit , docente Ecclesia , camus : « Cum vero , inquit illa , Apostolus dicit, *justificari hominem per fidem et gratis* , verba in eo sensu intelligenda sunt , quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus uit et expressit ; ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur , quia fides est hunæ salutis *initium* , *fundamentum* , et *radix* omnis justificationis, sine qua impossie est placere Deo , et ad filiorum ejus consortium pervenire ; *gratis* autem justiari ideo dicamur , quia nihil eorum , quæ justificationem præcedunt , sive fides , sive era , ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex opebus ; alioquin , ut idem Apostolus inquit , gratia jam non est gratia. » Trident. Sess. VI. p. VIII.

℣. 10. *ad cognoscendum illum).* Græce , *του γνωναι αυτον*, in qua locune Infinitivus ad modum Substantivi adhibetur ; Genitivus autem ille *του γνωναι* n est habendus tamquam elliptice positus pro *του γνωναι ἑνεκα* aut *χαριν*, sed Genitivus , quem vocant , *scopi* sive *finis* , et qui frequenter occurrit apud scriptores m sacros (v. gr. Act. XXVI. 18. Rom. VI. 6) quam profanos[1]. — Jungenda est hæc rs cum proxime præcedentibus his : *sed ut habens justitiam eam quæ ex fide est* , etc. gnificat ergo hic Apostolus *quem in finem* velit inveniri in Christo *habens justitiam quæ fide est*, etc. Est autem finis hic *cognoscere* Christum , puta *experimentaliter* , ut patet x sequentibus. Sensus eò redit ac si scripsisset : ad fruendum bonis illis , quæ obtinnt *justificatis per fidem* Christi. Horum autem bonorum mox nominat duo (*virtutem resurrectionis ejus* , et *societatem passionum illius*).

et virtutem resurrectionis ejus). Particula *et* (*και*) non tam *conjunctivam* vim habet , quam potius *exegeticam*[2]. Nam *exponit* Apostolus quarum rerum cogninem *experimentalem* hic præcipue habeat ob oculos. *Virtus resurrectionis ejus* , *ἡ δυναμις της αναστασεως αυτου* , intelligitur resurrectionis Christi vis vel efficia in *credentes*. Illa autem vis vel efficacia cogitanda hic est ut conspicua non in qui nunc primùm justificantur , sed in iis qui jam sunt justificati. Nam qui hic loquitur lus , ut justificatus loquitur. Existimo autem Apostolum eam hic intelligere Christi tiam , quâ adjuti justificati *renovantur de die in diem* (2 Cor. IV. 16) , h. e. fide , , et charitate proficiunt continuò ; uno verbo Apostolum hic cogitare *acceptæ jus-*

---

(1) Vide Kühner § 651. 3. b. Bernhardy. Kap. . p. 357 : « Schon im blühenden Atticismus ben man für den Sinn eines *Zweckes* τοῦ mit Inf. zu gebrauchen. » Cf. etiam Kap. 3. 30. p. 147. Winer § 45. 4.

(2) Vid. Devar. ad h. Partic. , et Winer § 57, 2.

tificationis incrementum, quod profectò contingere nequit nisi iis, qui jam per fidem Christi justificati, facti sunt *domestici Dei* (Ephes. II. 19). Cf. Trident. Sess. VI. Cap. X. Quod si quis quærat cur Apostolus eam, quam modo dicebamus, Christi gratiam sive vim ac efficaciam (δυναμιν) tribuat potius Christi *resurrectioni* quam ejusdem *morti*, sciat is Paulum ita loqui solere ut *remissionem peccatorum*, quam justificationem *negativam* vocare possis, Jesu Christi tribuat morti, justificationem vero *positivam*, regenerationem inquam, sive sanctificationem et υἱοθεσιαν, ejusdem resurrectioni. Sic ad Rom. IV. 25 *Qui traditus est*, inquit, *propter delicta nostra*, i. e. ad ea expianda et abolenda, *et resurrexit propter justificationem nostram*. Ad quem locum Corn. a Lapide hæc notat: « Præpositio *propter*, inquit, hic significat *causam quasi*[1] *meritoriam*. Christus enim officium suum et meritum passionis in resurrectione, quasi in termino suo absolvit; resurrectio enim fuit terminus et complementum passionis, meritorum, et totius œconomiæ Christi. Unde resurrectio et passio censentur unum opus redemptionis, et una actio moralis Christi completa, qua simul et semel meruit Christus tum remissionem peccatorum, tum justificationem nostram. Sed ob similitudinem[2] apposite Apostolus tribuit remissionem passioni, quasi satisfactioni; resurrectioni vero justificationem; quia per resurrectionem, quam suis meritis et virtute propriâ adeptus est Christus, factus est plenus redemptor et justificator, utpote victor mortis, et consequenter victor regni peccati et injustitiæ, quod mortis erat causa; tuncque simul induxit regnum vitæ, sanctitatis et justitiæ. Unde post resurrectionem misit Spiritum Sanctum justificatorem, misit et Apostolos, qui vi verbi sui et sanctis Sacramentis a se institutis nos justificarent. »

et societatem passionum illius). Græce κοινωνιαν των παθηματων αυτου, h. e. communionem seu communicationem perpessionum illius. *Communio* hæc *quo modo* fiat, Apostolus ipse explicat, addendo:

configuratus morti ejus). Græce συμμορφουμενος τῳ θανατῳ αυτου, h. e. *conformis fiens morti ejus*, ipsius mortis imaginem in me referens. Participium συμμορφουμενος non pendet a verbo Finito (ẏ. 9) εὑρεθῶ, sed a *Subjecto*, quod intelligitur in Infinitivo του γνωναι, quasi Apostolus pro του γνωναι scripsisset ἱνα γνῶ. Scilicet est in eâ oratione Anacoluthon, scriptoribus tam sacris quam profanis non infrequens[3]. Sensus est: Ut per fidem Christi justificatus venire possim in societatem perpessionum ipsius, dura quævis ejus causâ subeundo, atque ita ipsius mortis imaginem in me referendo; — puta, ut *Christo compassus*, etiam cum *ipso glorificer* (Rom. VIII. 17).

---

(1) Dicit *quasi* meritoriam, quum communis sit Theologorum doctrina, omne meritum Christi Salvatoris in passione ejus et morte completum fuisse, et proinde sua resurrectione, qua tali, eum nihil meruisse, uti nec adscensione in cœlum, nec ceteris, quæ egit post passionem suam et mortem. Cf. S. Thom. ad Rom. IV. 25. Præpositio δια (*propter*) in citato loco Apostoli de *causa finali* dicitur.

(2) Cf. S. Thom. ad Rom. IV. 25.

(3) Vide Viger. *Append. VI.* de Anacolutho. Kühner § 677. Winer. § 64. 2.

℣. 11. *si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis*). Pro *occurram* Græce est *καταντησω*, quod Verbum an uspiam adhibitum sit in notione *occurrendi*, nullo adhuc exemplo mihi probatum est. Verbi *καταντaω*, si cum Præpositione *εις* construitur, vulgaris notio est in *pertingendo ad locum aliquem*[1], unde et figurate adhibitum fuit in significatione *consequendi* vel *obtinendi aliquam rem*, eoque sensu quin etiam in præsenti loco verbum *καταντaω* interpretandum sit, non est cur dubitemus. *Resurrectio ex mortuis* quæ hic dicitur, intelligitur beata illa resurrectio quam justi exspectant; contexta oratio hanc interpretationem omninò postulat. Operæ pretium autem fuerit hic adnotasse, Apostolum post tot labores Christi causâ exantlatos, Paulum, inquam, cui *vivere* Christus *erat*, (supra I. 21), ita tamen loqui, ut qui de æterna sua salute non esset securus; nam quod dicit *ει πως* (*si quo modo*), dubitantis[2] hoc est. Itaque firmari ex hoc loco potest doctrina Catholicæ Ecclesiæ[3], de non pollicendo sibi absolutâ certitudine perseverantiam, quæ doctrina etiam aliis effatis Paulinis firmiter innititur. Cf. I Cor. IX. 27. X. 12. Philipp. II. 12.

℣. 12. Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.

℣. 12. *Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι· διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ᾽ ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Paraphrasis. Non dico autem me beatitatis illius præmium jam quasi tenere, aut metam jam attigisse; verùm continuo cursu contendo, experiens si forte possim præmium illud apprehendere, quod ut apprehenderem, ipse apprehensus fui a Christo Jesu.

In præcedente versiculo Apostolus innuerat se sollicitè contendere ad salutem æternam obtinendam; atque idem hoc distinctius hic significat. Quâ in re scopus ipsius fuerit, ut nunc *exemplo* suo Philippenses docere, quod eosdem supra (Cap. II. 12) *verbis* docuerat, scilicet rem salutis æternæ magnâ cum sollicitudine esse agendam.

℣. 12. *Non quòd jam acceperim*). Locutio *ουχ ὁτι* (*non quod*) elliptica est pro *ουκ ερῶ ὁτι*, *non dico quod*[4] *jam acceperim*, scilicet æternæ vitæ *præmium*, sive

(1) Cf. Act. XVI. 1. XVIII. 19. 24. XXI. 14. XXV. 13. XXVII. 12. I Cor. X. 11. XIV. 36. Ephes. I. IV. 13.

(2) Cf. Act. XXVII. 13. Rom. I. 10. XI. 14. Cf. Hoogeveen *Doctr. Particular. Ling. gr.* p. 167.

(3) Trid. Sess. VI. Cap. XIII.

(4) Vide infra ad Cap. VI. 11.

βραβειον, quod mox (℣. 14) *nominatur*; hic verò ex serie orationis supplendum est; nam proprio misso sermone, Apostolus figurato jam utitur, ductâ imagine a Cursu (*δρομος*), quod inter ludos Olympiacos præcipuum erat certaminum genus; in quo ludo qui primus omnium metam attingeret, præmium sive *βραβειον* accipiebat a *βραβευτη*.

aut jam perfectus sim). Gr. *η ηδη τετελειωμαι*. Est verbum *τελειουσθαι*, ait Schleusner (in Lexic. ad h. v.), apud Græcos proprium de Cursoribus in stadio, qui metam contigerant et superiores in certamine evaserant, ac victores declarati, propositis præmiis ornabantur. Confer Philonem *Lib. II. Allegor.* p. 74 : *αρα γε ουχ ὁταν τελειωθῇς και βραβειων και στεφανων αξιωθῃς*..... Confer Fabri *Agnonistica Sacra*, Lib. III. c. 11, et Jac. Lydii *Agonistica*, Cap. 30. pag. 131. » Itaque Apostolus novâ imagine ab eodem publico certamine desumptâ, idem hic videtur dixisse, quod modo dixerat.

sequor autem). Gr. *διωκω δε*, quod cum *absolutè* positum videatur, vertendum sit *celeriter curro*, *cursu contendo*. Verbum *διωκειν* hoc sensu interdum absolute occurrere, ex Phavorino notat Meijer [1]; *διωκειν*, ait ille, *ενιοτε το ἁπλως κατα σπουδην ελαυνειν*.

si quo modo comprehendam). Gr. *ει και καταλαβω*, h. e. experiens si *forte et assequi possim;* scil. *το βραβειον*, quod, ut supra, mente supplendum est. Dictio *ει και* cum Verbo conjunctivi Modi tantumdem hic valet quod supra (℣. 11) *ει πως*. Confer Nostratium *of ik ook soms*. Est autem locutio *διωκω δε ει και καταλαβω* elliptica pro *διωκω δε πειρῶμενος ει και καταλαβω* [2]. Theophylactus sic interpretatur : *ειπως ισχυσω καταλαβειν το βραβειον*. h. e. *Si quo modo queam comprehendere bravium*.

in quo et comprehensus sum a Christo Jesu). Locutionem *εφ' ᾧ* verto *ad quod*, adeoque sumo hic Præpositionem *επι* tamquam dictam de *concilio* vel *fine;* quo sensu *επι* occurrit etiam infra Cap. IV. 10, et Matth. XXVI. 50. Gal. V. 13 Ephes. II. 10. et I. Thessal. IV. 6. Itaque significat Apostolus, quod suo cursu sollicite contendat ut cœlestis vitæ *apprehendat bravium*, suum hoc esse *debitum* [3], quum in eum finem (*ad hoc*, *επι τουτῳ*) *a Domino Jesu Christo esset comprehensus*. — Adhibita hoc loco est ea orationis figura, quam Græci *ανταναχλασιν* vocant, quâque eadem vox in vicinia repetitur, sed diversa significatione. Mihi certe Apostolus videtur hic alludere ad illud quod sibi acciderat pergenti Damascum ad persequendos Christianos, quando Christus veluti manum suam illi injecit, idemque ab eo (*κατεληφθη*) *fuit compre-*

---

(1) Brief an die Philipper. ad h. l.

(2) Vide Matthiä. § 526.

(3) Cf. S. Chrys. et Theophyl.

hensus. Particula και, mea quidem sententia, hic abundat, ut sæpe fit in oratione comparativâ[1], qualis etiam præsens quodammodo est oratio.

℣. 13—14. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, 14 ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

℣. 13—14. Ἀδελφοί, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι· ἓν δὲ, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, 14 κατὰ σκοπὸν διώκω, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Paraphrasis. Ita planè est, fratres! ipse ego de me non judico me illud præmium jam veluti manibus tenere; verum id unum ago, nempe oblivioni tradens quæ a tergo sunt, ad ea vero quæ sunt a fronte nervis omnibus contendens, curro quam possim celerrimè versùs scopum, ad bravium, inquam, cujus obtinendi causâ de cœlo a Deo fui vocatus.

℣. 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse).* Pathetica est hæc superioris declarationis confirmatio. Quod dicit εγω εμαυτον (*ego me*), id emphaticè dictum est. « Fratres, inquit, ipse de me non judico me jam quasi comprehendisse bravium, idque jam veluti in manibus tenere, ut putem posse me jam esse securum. » Etiam hic vox βραβειον mente supplenda est.

Unum autem). Scilicet ποιω (*facio*), quod Verbum genericum hic supplendum[2] est ex specialioris significationis verbis, quæ sequuntur. *Unum illud* autem quale sit, Apostolus exponit per ea quæ statim subjicit.

quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora me extendens, ad destinatum persequor). Horum verborum sensum sic recte exponit Corn. a Lapide: « Sicut stadiodromi dum currunt in stadio non respectant quantum spatii transmiserint, sed quantum supersit ad metam, eòque toto conatu et impetu ac cursu recto feruntur; ita et ego præteriti cursûs mei obliviscor, totus in metam feror, et non respecto quid egerim, sed quid supersit agendum. »

Ut est mihi et tibi, ita et Apostolo suo modo percurrendum erat Christianæ vitæ stadium; illeque cursus non absolvitur nisi quando venitur ad terminum vitæ; nam qui *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Τα μεν οπισω, h. e. *quæ a tergo*

---

(1) Videsis quæ notavimus ad Cap. II, 5.

(2) De istiusmodi Ellipsi vide Winer. §. 66. III b., et Kühner §. 852, m.

sunt, Apostolus intelligit sua ad hoc usque tempus præstita bona opera, labores Evangelicos, perpessiones denique Christi causâ toleratas; horum omnium quasi obliviscitur, puta, quia eorum recordatio reddere eum possit aut pigrum, aut superbum. In imagine, qua Paulus hic utitur, *τα μεν οπισω* sunt spatium stadii hucusque a se emensum. Participium *επιλανθανομενος* est in formâ Mediâ, et reddendum *oblivioni tradens*; ejus Verbi Casus est *τα οπισω*; nam etsi *επιλανθανεσθαι* fere construatur cum Genitivo, nonnumquam tamen constructum quoque legitur cum Accusativo [1].

ad ea vero quæ sunt priora me extendens). Græcum Decompositum *επεκτεινομενος*, quod pariter in forma Media est, cursorem depingit manibus colloque protensis, et quasi præcipite corpore ad scopum ruentem; qua imagine summum studium, summa sollicitudo in re salutis exprimitur. *Τα εμπροσθεν* (Vulg. *ea quæ sunt priora*) sunt ea quæ *a fronte* sunt, et opponuntur *τοις οπισω*, iis quæ *a tergo*. Intelliguntur autem ea quæ in præsenti ab eo adhuc præstanda tolerandave sunt, aut erunt deinceps. Dativus *τοις εμποσθεν* Dativus est, quem vocant, *directionis*. Confer Latinum *cælo tollere manus*.

℣. 14. *ad destinatum persequor*). Gr. *κατα σκοπον διωκω*, h. e. *celeriter curro versus scopum*. *Διωκω* etiam hic, ut supra (℣. 12) *absolutè* ponitur. *Σκοπος* intelligitur *meta*, quæ opponitur *carceribus*, ex quibus emissi Cursores initium cursûs faciebant [2].

ad bravium supernæ vocationis Dei). h. e. ad *præmium* vitæ æternùm beatæ (℣. 11), cujus præmii obtinendi causâ *de cælo a Deo vocatus* fui. *Superna vocatio* (*ἡ ανω κλησις*) hic illa intelligitur, quæ Paulo obtigit quando de coelo *audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Cf. Act. IX. et Gal. I. 12 — 16.

in Christo Jesu). Jungenda hæc sunt præcedentibus *κατα σκοπον διωκω*. Sensus est: Celeriter curro versus scopum, non meis quidem viribus, sed adjutus auxilio Jesu Christi. Currit Paulus ut Christo incorporatus mystico quodam modo, fructificat ut in Christo tamquam palmes in vite exsistens. Jo. XV. 4. Legesis quæ supra (pag. 12) notavimus de dictione *in* Christo.

---

(1) Vide Kühner §. 522, Adm. I.

(2) Vide Kühner § 571. a,

(3) Vide Brünings, *Compend. Antiquit. Græc.* Cap. XXVIII. §. 7.

℣. 15—16. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus : et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. 16 Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula.

℣. 15—16. Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν· καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει. 16 Πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν.

Paraphrasis. Quicumque ergo inter perfectiores sumus, ita de perfectione Christiana sentiamus; quodsi eâ de re aliter sentitis, confido fore ut Deus et hanc rem vos edoceat. Interim ad quam perfectioris vitæ rationem jam pervenimus, secundum hanc incedamus, nihil ab eâdem deflectamus!

VARIANS LECTIO.

℣ 16. Post στοιχειν non leguntur verba κανονι, το αυτο φρονειν in Codd. AB, Minuscc. Versionibus antiquis, Copt. Sahid, (sæc. III.), Æthiop (sæc. IV), nec apud SS. Hilar., Aug. et Facundum Herm. (cf. Sabatier). Codex C hac parte mutilus est. Codd. DEFG omittunt κανονι, sed legunt το αυτο φρονειν. Porrò occurrunt in Codicibus hæc verba alio ordine posita (cf. Scholz). Itala hic habet : *Verumtamen in quo pervenimus, in ipsum sapiamus, ad hoc ipsum convenire.* S. Chrys. et Theodoretus legerunt ut editum est in Complutensi. Vulgata nostra illa verba quidem legit omnia, sed tamen alio ordine quam editor Complutensis illa legit in suis, quibus usus est, codicibus. In editione Novi Testamenti Tischendorfiana voces κανονι, το αυτο φρονειν omissæ sunt. Equidem non ausim eas pro spuriis habere, sed tamen dubiæ mihi videntur auctoritatis. Certe enasci potuit hæc lectio ex duplice glossemate, quorum alterum per vocem κανονι ex Gal. VI. 16 elucidaret vocem αυτῳ in locutione τῳ αυτῳ στοιχειν; alterum vero integram phrasin τῳ αυτῳ στοιχειν explicaret per dictionem το αυτο φρονειν ex Cap. II. 2. Etiam adhortatio illa *specialis* ad animorum concordiam (το αυτο φρονειν) hoc loco minus esse videatur ad rem, quum Apostolus ea de re jam supra dixisset, et nunc ageret de gnaviter currendo in stadio vitæ Christianæ, quod monitum continebat *generale.*

℣. 15. *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*). Apostolus quid ipse *sentiret* modo dixerat (℣. 12—14), nempe æstimare se, quantumcumque profecisset in stadio vitæ Christianæ, nihil tamen sibi attendendum esse ad spatium jam emensum, sed demisso animo, summo studio, summaque sollicitudine incœpto cursui insistendum. Vult autem ut secum ita sentiant Philippenses omnes; quare seque illosque complectens in 1a Plurali ait : *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* — Τελειοι (*perfecti*) hic dicuntur non qui *absolutè* tales sint, sed qui, quod ad perfectionem vitæ Christianæ attineret, censeri poterant ad adultam veluti ætatem pervenisse, ut non amplius inter

parvulos (νηπιους) essent recensendi. Cf. I. Cor. XIV. 20. Sermo autem hic est de perfectione relativa non in re *dogmaticâ*, sed in re *ethicâ*; patet hoc ex contexta oratione, et jam notatum fuit a S. Chrysostomo : « Non de dogmatibus, inquit, hæc dicta sunt, sed de perfectione vitæ[1]. » Quum monitum hoc Apostoli dirigeretur ad *perfectiores* inter Philippenses, a fortiori tangebat illos qui ad hanc classem non pertinerent.

et si quid aliter sapitis). τι ἑτερως φρονειν est *aliter quid sentire*, quod mihi videtur hic idem esse ac *aliud quid sentire*. Sentire autem *aliter* hoc loco est, non ita de perfectione Christiana sentire, ut sentiebat Paulus; et in mente Apostoli est, eum, qui *aliter* sentiat ac ipse, non recte sentire. Id quod multâ comitate hic dicit Apostolus, tale est : Quodsi existimatis vos perfectionem jam attigisse ut ultra proficere non debeatis, etc.

et hoc vobis Deus revelabit). Tempus Futurum *spem certam* hic exprimit. *Revelare* autem hoc loco dicitur de manifestatione, quæ fit a Deo intùs hominem docente. Τουτο intelligas sententiæ minus rectæ de perfectione Christiana oppositam rectam sententiam. Sensus est : Confido fore ut Deus, quemadmodum alia, ita etiam hoc, intellectum vestrum illuminando, vos edoceat.

℣. 16. Verumtamen ad quod pervenimus, etc.). Si statuamus veram hujus loci lectionem esse hanc : πλην εις ὁ εφθασαμεν, τῳ αυτῳ στοιχειν, sensus videtur esse hic : *interim* (sic S. Chrys. et Theophyl. vocem πλην hic interpretantur), *ad quam perfectæ vitæ rationem jam pervenimus, secundum hanc incedamus; nihil ab eâdem deflectamus!* Verbum φθανειν junctum Præpositioni εις vel επι notat *pervenire ad aliquid, ad aliquem*. Cf. Matth. XII. 28. Rom. IX. 31. — τῳ αυτῳ est Dativus, quem vocant, *normæ*[2], in neutro genere hic positus, et referendus ad præcedens Relativum ὁ. Infinitivus στοιχειν, quum præcesserit 1ª Pers. Plur. (εφθασαμεν), Imperativi loco haberi nequit[3], sed est, ut mihi quidem videtur, Infinitivus *optantis* sive *hortantis*[4].

Si vero legendum sit : πλην εις ὁ εφθασαμεν, τῳ αυτῳ στοιχειν κανονι, το αυτο φρονειν, reddendum illud sit : *interim ad quod pervenimus* (quod assecuti sumus), *ad eamdem incedamus regulam, idem sentiamus.*

Vulgatam hoc loco sic explicat Estius : « Interim quantum ad id quod de rebus divinis jam assecuti sumus, hortor vos omnes, eâdem regulâ doctrinæ et fidei incedere, eamdemque regulam tenere, et idem sapere, id est, concordes esse. »

---

(1) Hom. XII. in Ep. ad Philipp. ad h. l. « Ου περι δογματων ταυτα ειρηται, αλλα περι βιου τελειοτητος. »

(2) Vide Winer. § 31. 3. b.

(3) Cf. Kühner § 645. a.

(4) Cf. Kühner § 644. b.

℣. 17 — 19. Imitatores mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. 18 Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : 19 quorum finis interitus : quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

℣. 17 — 19. *Συμμιμηταί μου γίνεσθε, ἀδελφοὶ, καὶ σκοπεῖτε τοὺς οὕτω περιπατοῦντας, καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς.* 18 *Πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν, οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ·* 19 *ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες.*

Paraphrasis. Me imitamini, Fratres, et ad imitationem observate eos qui vitam suam instituunt ad exemplum quod nos vobis præbuimus. Multi enim vivunt, de quibus cum apud vos essem sæpe dicebam vobis nunc autem et cum lacrymis dico, esse eos inimicos crucis Christi; quorum finis erit perditio æterna; qui ventri suo quasi Deo cuidam inserviunt, quique gloriam suam collocant in rebus turpissimis; tales denique qui non nisi terrestres habent affectus.

℣. 17. *Imitatores mei estote, fratres).* Versiculo 16 incœptam adhortationem prosequitur, docendo quos imitari debeant. Græcè est *συμμιμηται*, *co-imitatores*, cujus vocabuli vim sic recte expressit Estius (i. h. l.) : « Estote mei imitatores unà cum aliis qui me imitantur. »

et observate eos, qui—formam nostram). *Σκοπειτε*, *intueamini*, inquit, ad imitationem *in eos*, qui vitam suam ita instituunt *καθως εχετε τυπον ὑμας*, *sicut me habetis exemplum*, h. e. ad exemplum, quod ego vobis præbeo. Fieri potest ut Apostolus per Pluralem *ὑμας* non *se* tantum, sed et Timotheum hic intellexerit.

℣. 18. *Multi enim ambulant,* etc.). Sentit Apostolus, Philippenses eo magis bonis exemplis indigere, quòd non desunt illis mala. Hinc orationem continuat per particulam *enim*. Post *multi enim ambulant* non est mente supplendum *longe aliter* vel simile quid; sed, ut mihi quidem videtur, est hic inter Subjectum et Prædicatum ellipsis Infinitivi *ειναι* [1]; itaque verba græca sic latine reddenda putem : *Multi enim vivunt, de quibus cum apud vos essem sæpe dicebam vobis, nunc autem et cum lacrymis dico* [2], *eos inimicos esse crucis Christi*; quia nempe, ut Græci interpretantur et contexta oratio docet, vitam agerent voluptuariam. Cf. Matth. XVI. 22—27. Gal. V. 24.

---

(1) Cf. Winer §. 56. 2.

(2) *Cur? quoniam malum creverat.* Ita S. Chrys. dignissimus qui ad hæc verba legatur.

℣. 19. *quorum finis interitus)*. Græce *το τελος*, quo vocabulo hic non *merces* significatur, sed *finis* hic intelligitur *terminus*, quò isti pervadent. Terminus ille est *interitus* (*απωλεια*), *perditio æterna*, cui opponitur (Cap. I. ℣. 28) *σωτηρια æterna salus*.

quorum Deus venter est). Qui ventrem suum tamquam Deum quemdam colunt, h. e. qui toti dediti sunt voluptatibus quæ ex cibo potuque percipiuntur, atque in his veluti summum suum bonum constituunt.

et gloria in confusione ipsorum). Quæ hic dicitur *confusio* (*αισχυνη*) ea a S. Chrysostomo refertur ad peccata turpia. « Quidam, inquit, circumcisionem his verbis significari volunt; ego autem ita interpretor, ac si dictum esset: In quibus oportebat eos pudore suffundi seque occultare, in his se efferunt. Hoc illud est, quod alibi dicit *quem ergo fructum habuistis tum in illis, in quibus nunc erubescitis* [3]. » Atqui hæc verba, quæ ducta sunt ex Epistolâ ad Romanos (Cap. VI. 21), dubium non est quin de impudicitiæ peccatis dicta sint. Cf. Rom. VI. 19, et I. 24. — Voces *ἡ δοξα* pendent a præcedente *ὧν*, ut vertendum sit: *et quorum gloria*. Est autem notanda in hoc et in duobus incisis præcedentibus frequentissima illa Verbi *εστι* ellipsis.

qui terrena sapiunt). « Quorum cor terræ affixum non nisi terrestres habet affectus, non nisi terrestria bona amat, desiderat, cogitat, persequitur. » Corn. a Lapide. — Quosnam autem malos Christianos Apostolus hic ob oculos habuerit, non liquet. Neque enim loqui videtur de iisdem, de quibus supra (℣. 2) sermo fuit; nec verisimile est ex Philippensium Christianorum numero eos fuisse. (Cf. Proleg. §. 2 et 3).

℣. 20—21. Nostra autem conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, 21 qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis

℣. 20—21. *Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει· ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν,* 21 *ὅς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν εἰς τὸ γενέσθαι* a) *αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι*

Paraphrasis. Noster enim municipatus in cœlis est; unde etiam tamquam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui transformabit corpus nostræ afflictionis, quo fiet ut sit conforme corpori ipsius glorioso; idque facturus est secundum eam poten-

(1) Hom. XIII, in Ep. ad Philipp. ad. h. l. Τινες την περιτομην φασι δηλουν δια τουτου· εγω δε ου τουτο φημι, αλλα τουτο εστιν· εφ᾽ ὁις εδει εγκαλυπτεσθαι, επι τουτοις σεμνυνονται. Τουτο εστιν ὁ φησιν αλλαχου· Τινα ουν μισθον ειχετε τοτε, εφ᾽ ὁις νυν επαισχυνεσθε.

suæ, secundum operationem, quâ etiam possit subjicere sibi omnia.	τῆς δόξης αὐτοῦ, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα.	tiam, quâ potest sibi etiam subjicere universam creaturam.

VARIANS LECTIO.

a) Verba εις το γενεσθαι αυτο non leguntur in ABD*FG. (Codd. CH hac parte mutili sunt), nec in verss. antiqq. Ital. Æthiop. Vulg. — Iren. quoque Tertull. Cypr. Hilarius, aliique ea verba non legerunt. (Vide Sabatier et Griesbach). Ad hæc, difficilior interpretatio est, si, demtis illis verbis, præsentem locum legas; et porro illud εις το γενεσθαι αυτο hic indolem glossematis plane refert. Quæ quum ita sint, illud εις το γενεσθαι spurium esse putem.

℣. 20. *Nostra autem conversatio in cœlis est*). Græce est: *nostra enim* (γαρ), secundum quam lectionem nexus orationis statuendus est ita, ut confirmetur his verbis præcedens vituperatio; quasi diceret: Jure istos tamquam malos Christianos traduco utpote qui terrenis cupiditatibus toti inhiant; nostra enim, id est Christianorum qui tales esse volumus quales esse debemus, nostra, inquam, conversatio in cœlis est. — Si cum Vulgata legas *autem*, nexus est in antithesi. Pro *conversatio* est hic græca vox πολιτευμα, quam si malis reddere *municipatus* [1], sensus sit: *Nos enim* (nos autem) *nos gerimus ut municipes cœlorum;* terrenorum omnium quasi obliti, cœlestibus inhiamus. Cf. Hebr. XII. 22. Si verò magis placeat versio Vulgatæ, sensus erit hic: Nostra vivendi ratio in cœlis est; quasi dictum sit: Nos non in terra versamur, sed in cœlis. Nempe, ut hic notat Corn. a Lapide, anima magis est ibi ubi amat quam ubi animat.»

unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum). Locutio ἐξ ὅ *grammatice* referenda non est ad præcedens ουρανοις, quasi sit pro ἐξ ὧν per Enallagen Numeri; nimirum in usu loquendi ἐξ ὅ vim Adverbii induit, adeòque reddendum est *undè* [2]. Sensus est: Ex quibus *pariter* (και) cœlis venientem ad

(1 Ut fecit Tertull. (*Adv. Marc.* 3. 24. Apud Facciol. *in lexic.* a. h. v.): « Apostolus, inquit πολιτευμα nostrum, id est, municipatum in cœlis esse pronunciat.» Et Henr. Steph. ex Plutarcho affert πολιτευματος μετεχειν pro *municipem esse.*

(2) Vide Winer §. 21. 2.

judicium Dominum nostrum J. C. exspectamus, præstolamur, tamquam salvatorem. Jesus Christus plenus ac perfectus nobis erit Salvator, quando nostram tam animam quam corpus gloriâ donaverit.

℣. 22. *qui reformabit corpus humilitatis nostræ*). *Το σωμα της ταπεινωσεως ἡμων*, *het ligchaam onzer verdrukking*. Pronomen *ἡμων* junge cum *της ταπεινωσεως*, qui Genitivus est *subjecti* : corpus quod nostra *ταπεινωσις* circumfert. *Ταπεινωσις* autem ea hic intelligenda videtur, quam subeunt illi *qui mortificationem* (*την νεκρωσιν*) *Jesu in corpore suo circumferunt* (2 Cor. IV. 10), qui *pro Christo patiuntur* (ad Philipp. II. 29), qui *crucem suam tollunt, et sequuntur Jesum* (Matth. XVI. 24)[1]. Hoc corpus *reformabit*, *μετασχηματισει*, h. e. ejusdem *habitum immutabit;* quam mutationem intelligimus *accidentalem*, non vero *essentialem*; sed de hâc quæstione, si Deo placet, amplior sermo nobis erit in interpretatione prioris Epistolæ ad Corinthios, ad Cap. XV. 35—55.

configuratum corpori claritatis suæ). Vox *συμμορφον* est Adjectivum *effectûs* quod ad modum Appositionis est sumendum[2]. Illius *μετασχηματισμου* hic erit effectus, ut corpus *humilitatis nostræ* fiat *συμμορφον τῳ σωματι της δοξης αυτου*, h. e. *conforme* corpori, in quo illius gloria se exserit; nam et hic *της δοξης*, ut supra *της ταπεινωσεως*, Genitivus *subjecti* est. Ad sensum quod adtinet, nihil vetat *σωμα της δοξης αυτου* reddere *corpus ejus gloriosum*, et supra, *σωμα της ταπεινωσεως ἡμων*, *corpus nostrum afflictum*. Notat hic Theodoretus *conformitatem* illam esse dictam non de gloriæ *quantitate*, sed de ejusdem *qualitate*[3].

secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia). Hoc addit Apostolus ad confirmandum quod modò dixerat de Christo *corpus humilitatis nostræ* transformaturo; quasi diceret: Potest hoc facere, quum eâ potentiâ polleat, ut possit etiam subjicere sibi omnia. Græca verba pressius sic Belgice reddi possent: *volgens zyn vermogen van alles aan zich ook te kunnen onderwerpen*. *Ενεργεια* est *operatoria* Christi *vis* sive *potentia*. Bene Estius (i. h. l.): Sensus est: Christum illud facturum per eam virtutis suæ efficaciam, qua potest etiam subjicere sibi ipsi (*ἑαυτῳ*) universam creaturam; imo quâ idipsum aliquando facturus est. Nam omnia tandem ei subjicienda esse docent Scripturæ, Psalm. VIII., I Cor. XV. et Hebr. 2. Id vero consideratione dignum est, Apostolum hic Filio

(1) S. Chrys. Hom. XIII. in Ep. ad Philipp. ad h. l. «Πολλα πασχει νυν το ἡμετερον σωμα, δεσμειται, μαστιζεται, μυρια πασχει δεινα· αλλα και το του Χριστου τοσαυτα επαθε. h. e.» Multis modis nunc male tractatur corpus nostrum, vincitur, vapulat, sexcentis malis afficitur; verum et Christi corpus hæc eadem passum est.»

(2) Vid. Win. §. 66. III. h.

(3) Συμμορφον δε τῳ σωματι της δοξης αυτου το ἡμετερον εφη γεγενησθαι σωμα, ου κατα την ποσοτητα της δοξης, αλλα κατα την ποιοτητα.

tribuere, quod alias Patri. Hic enim scribit Filium posse sibi ipsi subjicere omnia; cum alibi (Hebr. II. 8) dicat, Patrem Filio omnia subjecturum. Ex quo contra Arianos ostendit AMBROSIUS eamdem Patris et Filii potentiam, proindeque eamdem essentiam ac divinitatem esse. »

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM ET PARTITIO). *Concludit Apostolus superiorem (ỳ. 17—21) exhortationem (ỳ. 1); tum peculiariter matronas duas,* EVODIAM *et* SYNTYCHEN, *ad concordiam exhortatus* (2—3), *pergit excitare omnes ad diversarum virtutum studium* (4—10). *Deinde gratum suum animum testatur Philippensibus ob eorum erga se sollicitudinem* (11—18), *ob eamque benè illis precatur* (19). *Postremùm, glorificato Deo* (20), *salutatisque suo et aliorum nomine Philippensibus* (20—22), *solenni suo voto* (23) *epistolam claudit.*

℣. 1—3. Itaque fratres mei charissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea : sic state in Domino, charissimi : 2 EVODIAM rogo, et SYNTYCHEN deprecor idipsum sapere in Domino. 3 Etiam rogo et te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum CLEMENTE, et ceteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

℣. 1—3. Ὥστε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, χαρὰ καὶ στέφανός μου, οὕτω στήκετε ἐν Κυρίῳ, ἀγαπητοί. 2 Εὐοδίαν παρακαλῶ, καὶ Συντύχην παρακαλῶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν Κυρίῳ. 3 Καὶ ἐρωτῶ καί σε, σύζυγε γνήσιε, συλλαμβάνου αὐταῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι, μετὰ καὶ Κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μου, ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς.

Paraphrasis. Quæ cum ita sint, fratres mei dilectissimi ac desideratissimi, qui gaudio mihi estis et gloriæ, vos constanter agite eam, quam dixi, vitam benè Christianam, charissimi! EVODIAM precor pariterque et SYNTYCHEN precor, concordes ut esse velint in fungendo sacro suo munere. Næ, et te rogo, o mi germane collega, tu ad hoc opitulare illis, utpote quæ mecum laborarunt in propagandâ re Christianâ quemadmodum et CLEMENS, et ceteri cooperarii mei quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

℣. 1. *Itaque sic state*). Gr. ὥστε ὅτω στηκετε. Particula ὥστε quando, ut hic, cum Imperativo conjungitur, commodè redditur, *itaque*, *ergo* [1]. Illud ὥστε hic est *concludentis* exhortationem illam, quæ inchoata erat præcedenti capite (℣. 17) : *imitatores mei estote*, *fratres*, cet. Nam quod dicit SIC *state*, referendum hoc est ad dicta ℣℣. 17. 19 : *sicut ambulare* (περιπατειν) *scitis me*, *et qui me imitantur; quorum conversatio in cœlis est.*

Fratres mei charissimi et desideratissimi). Græce sunt hic nomina, ut vocant, *Verbalia* αγαπητοι et επιποθητοι, quorum prius notat *dilecti*, alterum vero *vehementer* [2] *desiderati*, h. e. per Metonymiam, *impense amati.* Nempe in desiderio amor.

gaudium meum et corona mea), *Gaudium* (χαρα) suum ipsos vocat, quòd Philippenses ob vitam suam bene Christianam ipsi essent *causa* gaudendi. Nec vero est hic *gaudium* ad *præsens* tempus referendum, *corona* vero ad futuram remunerationem, ut 1 Thessal. II. 19; nam illius loci alia ratio est; verùm Philippenses PAULO *corona honoris* erant *in præsenti* ipsum *ornans* [3].

---

(1) Cf. HOOGEVENIUM ad VIGERI librum *de Idiot. Cap. VIII. Sect.* X. II. 19.

(2) De Præpositione επι in Compositis vim Verbi etiam *augente*, vide ZEUNIUM ad VIGER. Cap. IX. Sect. IV. XXII.

(3) THEODORET. i. h. l. Μετ' ευφημιας πολλης ἡ παραινεσις· εφ' ὑμιν γαρ, φησι, μεγα φρονῶ, εφ' ὑμιν λαμπρυνομαι. h. e. « Cum magna laude conjuncta est adhortatio; de vobis enim, inquit, glorior, propter vos sum illustris. »

sic state in Domino, charissimi). Sicut *ambulare* (περιπατειν) scitis me et qui me imitantur, quorum πολιτευμα in cœlis est (Cap. III. 17. 19), sic *state* (στηκετε), h. e. ejusmodi vitæ rationem constanter sequamini. De notione Verbi στηκειν vide quæ notavimus ad Cap. I. ℣. 27. Quod autem addit *in Domino*, per Metonymiam dictum puta ita, ut vox *Dominus* notat Domini religionem, id est, Christianam. Sensus est: Constantes estote in agendo vitam bene Christianam. Cf. I. Thess. III. 8. *Charissimi*, gr. αγαπητοι, h. e. *dilecti*. Est in illo αγαπητοι, bis hic repetito, tenerrimi cujusdam amoris erga eos significatio.

℣. 2. *Evodiam rogo et Syntychen deprecor*). Quæ ad universos spectabant monita, excipit monitum quoddam singulare. Evodia et Syntyches nomina duo sunt propria mulierum, idque tum aliunde [1] constat, tum certo conficitur ex ℣. sequenti; nam quod ibi dicitur: συλλαμβανου αυταις, αἵτινες, id ad Evodiam et Syntychen referendum est. Matronæ illæ erant de re Evangelica bene meritæ (Cf. ℣. 7); utrum vero Diaconissarum munere fungerentur nec-ne, certo dici nequit. Pro *rogo et deprecor* in græco est παρακαλῶ (*adhortor*) bis positum. Quæ Anadiplosis videtur hic eam habere vim, ut innuat utramque, et Evodiam et Syntychen, in culpa fuisse. Adhortatur autem eas Apostolus *ut idem sentiant*, h. e. ut altera cum altera sentiat, ut idem velint, nec sit inter eas animorum discordia. Sed quum Apostolus jam antea (Cap. I. 27. II. 2 sqq.) Philippenses *universe omnes* ad animorum concordiam fuisset exhortatus, obscurum est quam ob causam hic *sigillatim* admonuerit duas illas matronas. Causa forsitan sit, quia earum discordiæ alia et singularis quædam ratio esset.

idipsum sapere in Domino). De phrasi το αυτο φρονειν diximus supra ad Cap. II. 2. Quid vero est quod hic additur *in Domino*? Si mulieres illæ, sive tamquam Diaconissæ, sive alio peculiari modo rei Christianæ fuerint cooperatrices, dicerem το *in Domino* hic esse dictum Metonymicè, valereque tantumdem ac si esset scriptum: idem sapere *in negotio* promovendæ rei Christianæ. Sin verò, *in Domino* significare potest: tamquam membra unius mystici corporis Christi. Cf. dicta supra ad Cap. I. ℣. I. p. 12.

℣. 3. *Etiam rogo et te*). Gr. και ερωτῶ και σε. Pro priori και malim legere ναι, quod et noster Interpres forsitan legit; nam passim (Matth. XI 9. XIII. 51. XV. 27. Luc. X. 21. Joh. XXI. 15. 16. Act. V. 8. XXII. 27. Apoc. I. 7. XXII. 20) ναι reddidit *etiam*. Quem Apostolus hic adloquitur, eum precatur ut adjuvare velit Evodiam et Syntychen ad redeundum in concordiam [2]. Ναι (*næ*) adverbium hic est

---

(1) Vide Gruteri *Inscriptiones*.

(2) Theodoret.

confirmantis[1] præcedentem admonitionem ; confirmatio autem est in advocato alterius auxilio ad rem efficiendam.

germane compar). Quis ille σύζυγος ? Virum quemdem indicari, non vero mulierem aliquam, jam patet ex addito masculini generis epitheto, γνησιε, ut adeo vel ipsa Grammatica obstet iis, qui hinc Paulo obtrudere velint uxorem. Insignem aliquam Pauli in prædicando Evangelio collegam intelligendum esse plerique interpretes statuunt. Sunt et qui dicant designari Epaphroditum[2], Philippensium Episcopum, epistolæ hujus latorem, ad quem per Apostrophen dirigatur oratio. Aliis tandem σύζυγος est nomen proprium[3]; cui epitheton γνησιος junctum sit ad exprimendum virum hunc id *reapse* fuisse quod sonat ejus *nomen*, si hoc pro *Appellativo* sumeres. Est hæc sane non spernenda conjectura ; at magis placeret si exemplo aliquo probari posset, inter nomina propria antiquorum etiam hoc nomen Συζυγου fuisse.

adjuva illas). Medium συλλαμβανεσθαι sequente Dativo, ut hic, notionem habet *opitulandi*[4], ut Luc. V. 7. *Adjuva illas*, scilicet, ut distracti earum animi reducantur in concordiam.

quæ mecum laboraverunt in Evangelio). Pro *quæ* græce est αἵτινες, *utpote quæ ;* Cf. Nostratium *als welke*, h. e. *als zulke die ;* ut adeo hic ratio commendatitia suggeratur, ob quam illis opitulandum sit. Συναθλειν εν τῳ ευαγγελιῳ est operam suam ponere *in negotio* propagandæ rei Christianæ. Labor hic evangelicus, ut tunc erant tempora, non fiebat sine repugnantia adversariorum ; quæ causa sit cur Apostolus de eo passim loquatur quasi de lucta aliqua aut certamine.

cum Clemente et ceteris adjutoribus meis). Hæc ne jungas cum voce *adjuva*, sed junge cum verbis *mecum laboraverunt*, id quod jam ipsa vocabulorum in hac periodo positio indicat ; ut sensus sit, eas mulieres in propaganda ré Evangelica Paulo adjutrices fuisse, idque ut videtur, Philippis, una cum Clemente ceterisque Pauli cooperariis. Clementem hunc eum fuisse, qui post Petrum Romanæ Ecclesiæ præfuit, scriptores antiqui tradiderunt[5]; quibus, ut hic notat Estius, et ipsa Ecclesia consentit, dum locum hunc inter Missarum solemnia recitat in festo ejusdem beati Clementis.—Particula και inter Præpositionem et Nomen posita etiam apud Pindarum occurrit[6].

---

(1) Cf. Viger. *de Idiot.* Cap. VII. sect. IX. VIII.

(2) Victorinus Philosophus, ad h. l. (in Scriptor. vet. nova. collect. edit. ab Em. Card. Maio. T. 3. p. 79), alii.

(3) Ita nonnulli (τινες), quos memorat S. Chrys.

(4) Vide Henr. Stephan. *in Thes.* ad v. λαμβανω.

(5) S. Hieron. *de Script.*, *Eccl.* Euseb. H. E. Lib. III. Cap. 4. Pelagius, Primasius.

(6) Exempla videsis apud Hartung : *Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache.* I. Th. p. 143.

quorum nomina sunt in libro vitæ). Hæc pars non respicit nisi *ceteros* illos *adjutores*, quorum *nomina* tacentur. Bene Estius (ad h. l.): « Adjecit Apostolus hanc partem, ne, quia solum Clementem et duas illas mulieres nominaverat, ceteri cooperarii ejús offenderentur quòd nominati non essent; quasi diceret: *et ceteris adjutoribus meis*, quorum multo felicius alibi scripta sunt nomina, quam si hic adscriberentur; scripta sunt enim in libro vitæ. »

Liber vitæ sive *catalogus viventium* Deo anthropopatice tribuitur. « In quo libro, ait hic Corn. a Lapide, duplici modo homines describuntur. *Primo*, absolute et complete; ita scribuntur omnes et soli illi, qui in gratia moriuntur, ideoque electi sunt ad vitam æternam. *Secundo*, inchoatè tantùm; ita scribuntur in libro vitæ justi omnes, qui adhuc in vita luctantur cum mundo, carne, et dæmone, ut, si in justitia perseverent, complete scribantur in libro vitæ, eliganturque et perveniant ad vitam æternam; si non perseverent, deleantur de libro viventium. Hoc secundo modo dicit Apostolus, Clementem, et alios suos adjutores adhuc viventes, scriptos esse in libro vitæ. Nec enim vult eos certos reddere de sua perseverantia, salute, et electione ad gloriam, eamque rem Philippensibus revelare; nec rursum vult dicere, se accepisse a Deo revelationem de hac ipsorum salute et gloria; sed tantum ipsos, quoad præsentem gratiæ statum, inchoatè scriptos esse in libro vitæ.»

℣. 4—5. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. 5 Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est.

℣. 4—5. *Χαίρετε ἐν Κυρίῳ πάντοτε· πάλιν ἐρῶ, χαίρετε. 5 Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις. Ὁ Κύριος ἐγγύς.*

Paraphrasis. Gaudete semper in Domino cui uniti vivitis; iterum dico, gaudete. Humanitas vestra hominibus sine discrimine omnibus innotescat experientiâ vestræ erga illos agendi rationis.

℣. 4. *Gaudete in Domino semper*, etc.). Nexus cum præcedentibus hic quærendus non est, quia nullus est. Confer ea quæ notavimus supra ad Cap. III. 1. Privatas personas allocutus fuerat Apostolus ℣℣. 2 et 3; jam denuo ad omnes sermonem suum dirigit. Vox *χαιρειν* in salutationibus quidem notat *valere*, sed hic, ut passim, notionem suam *primam* obtinet, quæ est *gaudendi* sive *lætandi*[1]). *Παντοτε* jungendum est cum priore *χαιρετε*. Quod vero addit Apostolus *in Domino*, eo significat *gaudium* illud, quo continuo gaudere velit Philippenses, tale esse quod *causam et fun-*

(1) Cf. Herm. ad Viger. p. 766, et Zeunium ad Viger. p. 325.

damentum suum habeat *in* Jesu Christo. Itaque non indicatur *modus* quidam gaudendi, quasi Apostolus hic Philippenses suos adhortetur universè ad gaudendum, modo *ita* gaudeant, *ut decet* Christianos gaudere : verum indicatur *unde* gaudendum sit ; adeoque unà indicatur quænam esse debeat continui istius gaudii veluti materies ; hæc autem est beneficium vocationis ad Religionem Christianam et spes vitæ æternæ consequendæ. Cf. Rom. XII. 11 : *spe gaudentes*.— Quam modo dabam verborum *semper gaudete in Domino* interpretationem, est ea quidem multorum S. Scripturæ interpretum ; nescio tamen an non simplicius et verius fuerit ea verba conferre cum effato Apostoli in 2 ad Corinth. Cap. VI. 11 : *quasi tristes, semper autem gaudentes ;* tum vero id quod additur in Christo, explicandum videtur, ut supra ℣. 2 illud *in Domino*.

℣. 5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus)*. Pro *modestia* Græce legitur *το επιειϰες*, quod est Adjectivum in neutro Genere Substantivi loco positum ; tale erat et *το ὑπερεχον*, de quo diximus supra ad Cap. III. 8. Vox *το εϰιειϰες* non sumttur hic sensu juridico, ut sit ratio agendi non summo jure, sed ex æquo et bono ; verùm *το επιειϰες* hic notat *mitem*, *lenem clementemque animum*, et significatione convenit cum voce *φιλανθρωπια*, cui et tamquam Synonymum subjungitur. Sic Philo dixit (*de vita Mosis* 1.) : *δια την συμφυτον επιειϰειαν ϰαι φιλανθρωπιαν*. Latina vox *humanitas* perfecte reddit, ut mihi quidem videtur, notionem dictionis *το επιειϰες*. Nam *humanitatem* vocarunt Latini eam virtutem, quâ benigni sumus, comes, et faciles erga eos quibuscum agimus [1]. Quæ virtus et *modestia vitæ* dicta est a Tacito (*Ann.* II. 52). Itaque Philippenses suos hortatur Apostolus, ut humani, mites, benigni sint, non tantum erga fratres suos Christianos, sed erga homines omnes, Gentiles, Judæos, adversarios etiam et persecutores. Nam quod dicit *nota sit* (*γνωσθητω*), id profecto interpretandum est : innotescat illis experientiâ vestræ erga illos agendi rationis.

Dominus prope est). Pars hæc ad præcedentia refertur a Cornelio a Lapide. Nam sic illa verba interpretatur : « *Dominus prope est*, id est, Christus judex appropinquat, ut veniat ad judicium, ut coronet nostram patientiam et modestiam, ut gaudium nostrum compleat, utque hostium nos persequentium injurias vindicet et puniat. » Equidem malim verba hæc referre ad ea quæ proxime sequuntur ; nam ad supremum judicium indicandum, ab Apostolo fere adhibetur locutio *dies domini*. Cf. I. Cor. III. 13. V. 5. — 2 Cor. I. 14. Philipp. I. 6. 10. 11. 16. — I Thass. V. 2. — 2. Thess. II. 2. Itaque effatum hoc, *Dominus prope est*, cum Velasquez (i. h. l.) refero ad auxiliarem opem, quam Deus (*ὁ Κυριος*) suis afferre consuevit, sive cum

---

(1) Vide Facciolati ad v. *humanitas*.

peculiaria gratiæ dona ad bene operandum illis tribuit, sive cum ipsos in tribulatione protegit. Quæ interpretatio rectissime quadrat in sequentia, eamque et S. Scripturæ loquendi usus commendat; sic Psalmo 144. 18 dicitur: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum;* et Ps. 33. 19: *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.*

℣. 6—7. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. 6 Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.

℣. 6—7. *Μηδὲν μεριμνᾶτε, ἀλλ' ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει μετὰ εὐχαριστίας τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν·* 7 *καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.*

Paraphrasis. Propè est Dominus invocantibus eum. Itaque ne ulla in re sitis anxiè solliciti; sed si quam ob rem perturbemini, eam per preces vestras Deo commendate, simul illi testando gratum vestrum animum; fiet inde ut omnem intellectum superans pax Dei vobis communicata mentes vestras custodiat, quo perseveretis esse in Christo Jesu.

℣. 6. *Nihil solliciti sitis*). Vox *nihil* idem hic valet quod locutio *nulla in re;* ut in hoc Ciceronis (Leg. 1. 2): *in hoc genere Græciæ nihil cedimus.* Scilicet *nihil* Substantiva vox est, et hic quidem in Accusativo adverbialiter posita [1]. In Græco *μηδεν μεριμνᾶτε* vox *μηδεν* *Accusativus* est *objecti patientis*, ut a Kühnero [2]) vocatur.

sed in omni). Gr. *εν παντι* scil. *πραγματι in omni re*, quod opponitur præcedenti *μηδεν*, h. e. *nulla in re.* Ne legas Latinè *in omni oratione*, etc., sed, commate posito post vocem *omni*, legas ita: *sed in omni, oratione* etc. Neque enim Græce scribitur: *εν παση τη προσευχη.*

oratione et obsecratione cum gratiarum actione). *τη προσευχη* et *τη δεησει* Dativi sunt, ut vocant, *instrumenti* (*door het gebed, par la prière*). Voces *προσευχη* et *δεησις* æquipollentes sunt; sed quo magis inculcetur res his vocibus significata, vocabulis exprimitur duobus quod poterat uno; ideoque et *geminatur*

---

(1) Cf. Zumpt. §. 677.

(2) Cf. §. 537. et A. 4.

Articulus, qui hic adhibitus est, quia cogitatur universum hoc *genus rerum*, quod *preces* vocant [1]. Quod autem dixit Apostolus *cum gratiarum actione*, eo innuit a piis petitionibus numquam abesse licere *gratiarum actionem*, ut quando nova quis petit a Deo beneficia, idem tum grato animo se illi probet memorem beneficiorum adhuc jam concessorum.

petitiones vestræ innotescant apud Deum). Verbum γνωριζειν in usu valet et *cognosco*, et *agnosco*, et transitivè *notifico*, sive *notum facio*; hinc Passivè *notus fio*, *innotesco*; ac tertia quidem ejus verbi notio hic adhibenda est, ut et Jo. XVII. 26, et Ephes. I. 9. Quod autem dicitur προς τον Θεον, id prægnanter dictum est pro *innotescant missæ ad* (προς) *Deum*.

℣. 7. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum*). Si quâ, inquit, sollicitudine agitati, mentis patiamini perturbationem, precibus rem vestram Deo commendate, et fiet inde ut pax Dei vobis communicata, mentes vestras ad modum cujusdam præsidii militaris custodiat (Gr. Fut. φρουρησει). *Pax Dei* quum hic talis esse dicatur *ut superet omnem intellectum*, eam hic cum Hervæo (i. h. l.) *Dei pacem* intelligo, quâ Deus ipse fruitur; cujus pacis participationem Apostolus Philippensibus promittit (φρουρησει in Fut.), si faciant id, quod dixerat versu præcedente. Hæc pax, quam cognoscunt, qui eâdem fruuntur, si cor custodit, nullis id persecutionibus concutitur, nullis adversitatibus dejicitur. Φρουρησει εν Χριστῳ Ιησου prægnanter dictum esse videtur ita, ut sensus sit: Custodiet mentes vestras (voluntatem et intellectum), ut *perseveretis* esse in Christo Jesu. — Φρουρειν verbum *militare* est. Apostolus, opinor, hoc loco (℣. 6. 7) imprimis ob oculos habuerit vexationes et insectationes, quibus Philippenses ob professionem Religionis Christianæ identidem essent expositi (Vide Cap. I. 29. 30).

℣. 8 — 9. De cetero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus dis-

℣. 8—9. Τὸ λοιπὸν, ἀδελφοὶ, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ καὶ εἴ τις ἔπαινος [a]), ταῦτα λογίζεσθε· 9 ἃ καὶ ἐμά-

Paraphrasis. Præterea, fratres, quæcumque vera sunt, quæcumque honesta atque decora, quæcúmque justa, quæcumque pudica, quæcumque amabiles vos reddant iis quibuscum conversemini, quæcumque vobis et christianismo bonam famam concilient, quidquid

(1) Vide Kühner §. 484. Winer. 17. 1. c. §

ciplinæ, hæc cogitate. 9 Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum.

θετε, καὶ παρελάβετε, και ἠκούσατε, καὶ εἴδετε ἐν ἐμοὶ, ταῦτα πράσσετε, και ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν.

tandem in numero virtutum habetur, quidquid laude dignum est; ad ea animum attendite; quæ et didicistis me docente et ab aliis audistis aut ipsi vidistis a me agi, hæc facite, et Deus auctor pacis auxilio suo vobis aderit.

VARIANS LECTIO.

a) Post επαινος legitur επιστημης *scientiæ* in D*E*FG, eamque lectionem referunt verss. Itala et Vulgata, quæ hic habent *diciplinæ*. Sed verss. Syr. et Aethiop., Patres, S. Chrys. Theod. Theoph. Oecum. eam vocem non agnoscunt.

℣. 8. *De cetero fratres*). Gr. το λοιπον, quod non est hic ad finem properantis, sed, post monita supra (℣℣. 4. 5. 6) data, eum habet sensum, ut notet præter ea, quæ Philippensibus agenda ibi jam dixerat, etiam hæc agenda esse, quæ jam sequuntur.

quæcumque sunt vera.... hæc cogitate, etc.). Protasis hujus orationis extenditur usque ad voces *hæc cogitate*, quæ sunt ejus Apodosis. Apostolus paucis verbis varia hic complectitur præcepta, quæ pertinent ad agendam vitam bene Christianam. *Hæc cogitate* (λογιζεσθε), h. e. *hæc meditemini*, *ad hæc animum advertite*; mens autem Apostoli est dicere: hæc, pro re nata, facite; ut mox dicit (℣. 9): ταυτα πρασσετε. *Vera* quæ hic dicuntur *ad mores* referenda sunt, quum omnia, quæ hic sequuntur ad mores referantur. *Vera* ergo hic dicuntur ea quæ remota sunt ab omni mendacio, hypocrisi aut simulatione. S. Chrysostomus vocem *vera* sumit tamquam generaliter dictam de *virtute*, quòd hæc sola *vera*, peccatum vero *mendacium* sit. Sed hoc, quamquam verum est, tamen abstractius et abstrusius dictum mihi videtur, quam ut putem Apostolum in populari sua oratione hoc sibi voluisse.

quæcumque pudica). Et illud ὅσα sexies hic repetitum, et quod necdum absoluta *variatur* oratio (*si qua virtus*, *si qua laus*), et quod omnia ασυνδετως posita sunt, totum hoc non sine magnâ emphasi est, et in loquente vehementem prodit animi ardorem. Pro *pudica* græce est σεμνα, quæ vox, ut bene notat Estius, significat gravitatem, severitatem et honestatem morum, adeoque versio Vulgata hic non æquat lati-

tudinem significatûs vocis σεμνα ; reddi ea possit : quæcumque *honesta* sunt atque *decora*, et sanctâ quadam *gravitate* plena.

quæcumque justa). Cavetur hac parte ne quid fiat, quo lædatur jus alterius.

quæcumque sancta) Pro *sancta* græce est ἁγνα, h. e. *casta*, ab omni impudicitia *remota*. Interpretem nostrum pro ἁγνα legisse ἁγια certo affimari nequit, quum Latini passim *sancta* pro *casta* dixerint ; sic HORAT. Od. I. 2. 27. *Virgines sanctæ*, i. e. castæ ; alia exempla videsis in Lexico FACCIOLATI, ad vocem *Sanctus*.

quæcumque amabilia). Gr. προσφιλῆ h. e. amorem sibi conciliantia. « Talia per quæ sitis amabiles hominibus ; nihil sit in moribus asperum, nihil quod offendat eos quibuscum conversemini. » ESTIUS i. h. l.).

quæcumque bonæ famæ). Gr. ευφημα, *honorifica*, ea puta, quæ vobis et Christianismo *bonam famam* concilient (Vide HENR. STEPH. ad h. v.)

si qua virtus, si qua laus). h. e. quidquid tandem in numero virtutum ponitur, quidquid laude dignum est, ταυτα λογιζεσθε, ad hæc animum attendite. Quod in Vulgata additur vocabulum *disciplina*, id glossema videtur, ut supra jam innuimus.

℣. 9. *Quæ et idicistis*, etc.). Græcè ἅ και. Non nova hic recensentur, nam si hoc, scripsisset ὅσα ; sed referendum est ἅ ad præcedentia. Mens Apostoli est dicere, ea quæ superiori versiculo recensuerat, ipsa ea esse quæ Philippenses a PAULO docente *didicerant et acceperant*, et in ipso (εν hic intelligas ut supra p. 52), opere et exemplo illis prælucente, suis ipsi oculis *viderant*, aut ab ipso gesta esse ab aliis *audierant*. Hæc agite, inquit, et *Deus* auctor *pacis* auxilio suo vobis aderit.

℣. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis : occupati autem eratis.

℣. 10. Ἐχάρην δὲ ἐν Κυρίῳ μεγάλως, ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμȣ̃ φρονεῖν· ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, ἠκαιρεῖσθε δέ.

Paraphrasis. Gavisus sum in Domino vehementer quòd tandem aliquando refloruistis quod attinet ad habendum mei curam ; quâ de re et solliciti quidem eratis, sed non abundabatis,

℣. 10. *Gavisus sum vehementer*). Hic tandem, postremo scilicet loco, ut fas erat, pecuniarium illud donum a Philippensibus per EPAPHRODITUM ad se missum Apostolus grato animo memorat. Transitioni inservit Particula δε, nec aliam hic habet vim. Quod Adverbium μεγαλως hic a fine sententiæ positum est, emphasim hoc habet. *Itaque gavisus est* Apostolus et *vehementer* quidem, idque εν Κυριῳ, quod S. CHRYSOSTOMUS sic

interpretatur : « *Non mundi atque hujus vitæ more gavisus sum, sed in Domino ; non quoniam ego respiravi, sed quoniam vos profecistis ; hæc enim mea recreatio est*[1] . » Aor. 2. pass. εχαρην[2] referendus est ad tempus, quo Romam advenerat Epaphroditus. Sequitur causa cur gavisus sit Apostolus.

quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire). Voces ηδη ποτὲ notare possunt *jam pridem*, sed et *tandem aliquando* (*eindelyk wederom eens*) ; verum, quemadmodum Rom. I. 10, ita et hic contexta oratio (εφ' ῳ̃ και εφρονειτε) hanc posteriorem notionem postulat. Ανεθαλετε Aor. 2. a θαλλω. Docet Winer[3] eam verbi formam rarò occurrere, et non nisi in oratione metro ligata. Particula ανα in multis Compositis nunc *iterationem*, ut hoc loco, nunc *elevationem* notat. Bene Vulgata : *refloruistis.* Vox αναθαλλειν apud LXX etiam *transitive* occurrit ; apud scriptores bene græcos αναθαλλειν non nisi *intransitivè* significat, eoque sensu et interpres noster eam vocem hic accepit. *Transitivam* notionem si illi voci tribuas, etiam vertas oportet *reflorescere*, *revirescere fecistis* vestrum illud *sentire pro me*, illudque tacita quædam foret reprehensio, quòd Philippenses a tribuendo Paulo subsidio cessassent. Atqui hoc dici nequit ; nam sicut istiusmodi tali in re querimonia a Pauli ingenio prorsus abhorret, ita et contexta oratio obstat, quominus putemus eum negligentiæ cujusdam hic arguere voluisse Philippenses ; nam ipse mox causam (ηκαιρεισθε δε) assignat, cur, sine ipsorum culpa, a mittendo subsidio cessassent. Itaque ανεθαλετε sumas tamquam *intransitivè* dictum ; quod vero sequitur το ὑπερ εμου φρονειν, id habendum esse putem, propter additum Infinitivo Articulum, pro Accusativo *objecti*[4] . Verborum sensum sic reddo : Gavisus sum quòd tandem aliquando refloruistis quod attinet ad habendum mei curam ; (το ὑπερ εμου φρονειν) ; qua de re (εφ' ῳ̃) etiam (και) solliciti quidem eratis (εφρονειτε), sed non abundabatis [5]. —Præpositio ὑπερ sumenda est ut supra p. 22. Cum locutione το ὑπερ εμου φρονειν conferri potest Nostratium *aan iemand denken*, quod pariter usurpatur de tributo alicui subsidio. Verbum φρονειν secundo loco positum tantumdem notat ac μεριμνᾳν, quod jam Theophylacto video placuisse [6] ; esset adeò hic Antanaclasis, ut suprà, p. 102. Particulæ και — δε mihi videtur hoc loco

---

(1) Ου κοσμικως εχαρην, φησιν, ουδε βιωτικως, αλλ' εν Κυριῳ· ουχ ὁτι αναπαυσιν εσχον εγω, αλλ' ὁτι ὑμεις προεκοψατε· ἡ γαρ εμη αναπαυσις, αὑτη εστι.

(2) Verbum est *Deponens Passivum*, de quo vide Winer §. 39. 7.

(3) Winer §. 15.

(4) Vide Kühner §. 557.

(5) Græcè Ηκαιρεισθε, quod, S. Chrys. et Theophylacto intrepretibus, est : ουκ ειχετε εν χερσιν, ουδε εν αφθονιᾳ ητε. h. e. *non habebatis in manibus vestris, neque abundabatis.* »

(6) Verba εφ' ῳ̃ και εφρονειτε Theophylactus sic interpretatur : Ειχετε μεν εν τῃ καρδιᾳ την περι εμου φροντιδα, και μεριμνᾶτε ὑπερ εμου· και γαρ εθος ὑμιν φροντιζειν μου. h. e. « Gerebatis quidem in corde pro me sollicitudinem, et pro me solliciti eratis ; nam et in more vobis est ut pro me solliciti sitis. »

valere *και μεν — δε*, ut adeo *μεν* desit [1]. Belgice : *waaraan gy* OOK WEL *dacht*, DOCH *gy bevondt u in verlegenheid.*

ỹ. 11—14. Non quasi propter penuriam dico, ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. 12 Scio et humiliari, scio et abundare : (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. 13 omnia possum in eo, qui me confortat. 14 Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ.

ỹ. 11—14. *Οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω· ἐγὼ γὰρ ἔμαθον ἐν ὅις εἰμι αὐτάρκης εἶναι.* 12 *Οἶδα καὶ ταπεινοῦσθαι, οἶδα καὶ περισσεύειν· ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι· καὶ χορτάζεσθαι και πειναν, καὶ περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι·* 13 *πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῳ.* 14 *Πλὴν καλῶς εποιήσατε συγκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει.*

Paraphrasis. Non hæc eò dico, quòd egestate affligebar ; nam ad me quod attinet, ego didici præsentibus contentus esse. Scio et affligi egestate, et versari in abundantiâ ; usquequaque edoctus sum : et satiari et esurire, et abundare et pati penuriam ; omnia possum illi unitus qui me gratiæ suæ auxilio intus corroborat.

Sed tamen rectè fecistis, quod in societatem venistis meæ afflictionis.

ỹ. 11. *Non quasi propter penuriam dico, ego enim didici.* etc.). Pro *quasi* quod Vulgata exhibet, græce est *ὁτι*. Et solent hic Ellipsin verbi *λεγω* agnoscere, ut scribatur *ουχ ὁτι* pro *ου λεγω ὁτι, κ. τ. λ.* Ego vero, ut non diffiteor istiusmodi Ellipsin passim occurrere apud auctores tam sacros quam profanos [2], ita tamen non putem hic illi esse locum. Nam quæ isthæc erit sententia : *non dico quod propter penuriam dico* ? Verba ita lego, quasi Apostolus scripsisset : *ου λεγω ὁτι καθ' ὑστερησιν*, quæ ita verto : *non hæc eò dico, quòd essem in egestate.* Nimirum, *ὁτι καθ' ὑστερησιν* elliptice dictum putem pro *ὁτι καθ' ὑστερησιν ην*. Præpositioni autem *κατα* notionem tribuo præpositionis *εν*, quam notionem *κατα* habet Act. XXIV. 14, et Hebr. I. 10. Et HESYCHIUS, *κατα*, inquit, *προθεσις, αντι του εξ, και αντι του απο, και αντι του εν, και αντι του εις*. Exempla videsis apud H. STEPH. in *Lexico* ad voc. *κατα*. Sensus est : Non dico hoc (scilicet, *gavisus sum*, etc.) quia affligebar egestate, quasi eam ferendo impar cum essem, ideo gavisus fuerim me ves-

---

(1) Vide DEVAR. Cap. XIII, et ZEUNIUM ad VIGER. Cap. VIII. Sect. VIII. X. cf. L. Bos. Ellips. gr. edit. SCHAEFER, p. 775. et HERMANNUM ad VIGER. edit. 3. p. 834.

(2) Ut v. g. supra, Cap. III. 12, et 2 Cor. I. 24 ; et

tra liberalitate jam ab eadem esse levatum; nam (εγω γαρ) ad me quod attinet, ego usu et exercitatione didici præsentibus contentus esse. Locutionem εν ὁις ειμι reddas *in quo statu versor*, non *in quocumque statu;* neque enim scripsit Apostolus: εν ὁις αν ειμι. Vocabulum ὁις non in Masculino sed in Neutro genere positum est, idque absque aliqua ellipsi. Eâdem phrasi usus est Arrianus (*Epict.* Lib. I. 22): τι μοι και αυτῳ, ει θελει με εν τοιουτοις ειναι, εν οἱς ειμι. h. e. *Quid mihi cum illo*, (scil. cum Jove negotium est), *si me vult in his esse, in quibus sum?* Alia exempla non pauca affert Wetsteinius ad h. l. — Αυταρκης ειναι reddas *mihi sufficere*; αυταρκης est is qui contentus est eo, quod in præsenti habet; qui sufficere sibi putat quod in præsenti habet; denique αυταρκης est is, qui est, ut Paulina phrasi dicam (ad Hebr. XIII. 15), αρκουμενος τοις παρουσιν.

℣. 12. *Scio et humiliari, scio et abundare*). Suam quam modo dicebat αυταρκειαν Apostolus hic *describit. Scio* (οἰδα), inquit, quod referendum est ad præcedens εμαθον *didici*, tamquam effectus ad causam. Repetitum και (και ταπεινουσθαι—και περισσευειν) vertas *tam—quam* (*zoowel—als*); et emphasim nota in repetito illo οἰδα. *Humiliari* (ταπεινουσθαι) universum ταπεινωσεως genus comprehendit, cujus species quædam est *inopia aut egestate laborare.* Atque hanc ταπεινωσεως speciem Apostolus hic ob oculos habuit, ut patet ex *opposito* περισσευειν. Antithesis hic in *re* est, non in *verbis;* nam ut esset in verbis, scribendum erat aut και ὑστερεισθαι, και περισσευειν, ut mox, aut και ταπεινουσθαι, και ὑψουσθαι. Sensus est: Utramque fortunam moderate ferre novi: nec frangi inopia, nec extolli abundantia, aut ullo modo eâdem abuti.—Præclaram enimvero virtutem, quam *exercitio* (℣. 11. εμαθον) et divina adjuvante *gratia* (℣. 13) sibi Paulus comparaverat!

ubique et in omnibus institutus sum). Hæc ne habeas pro parenthesi, quasi, interrupta syntaxi, verba και χορταζεσθαι — ὑσθερεισθαι, grammatice penderent a præcedente οιδα: pendent enim a μεμνημαι, ut mox explicaturi sumus. *Ubique et in omnibus*, gr. εν παντι και εν πασι, quæ verba, quum μυουμαι constanter cum quarto Casu construatur [1], non notant *ea, in quibus* institutus sit, sed, ut mihi quidem videtur, *adverbialiter* sumenda sunt ita, ut valeant idem quod Latinorum *usquequaque*, quod passim tantumdem est ac *in omni re*, ut in hoc Ciceronis (*Verr.* 2. 5. 5.): « Nolite usquequaque eadem quærere: in metu belli, furandi qui locus potest esse? » Conferri licet Græcum παντη, παντως, cujus oppositum est μηδα-

(1) Constat id ex exemplis bene multis, quæ exhibentur in *Thesauro Gr. Ling.* H. Stephani. edit. Londin. T. VIII. p. 11146; quibus jungi possunt ea quæ leguntur in Suiceri *Thesauro* ad voc. Μυεω.

μῇ , μηδαμως. Exempla tamen desidero, quibus certo probetur, locutioni εν παντι και εν πασι eam, quam velim, tribuendam esse notionem. Jam, qui sequuntur *Infinitivi* quatuor, velut totidem nomina Actionis in *accusativo* posita, pendent a μεμυομαι, quod hic mente supplendum est; quasi Apostolus scripsisset : εν παντι και εν πασι μεμυημαι : μεμυημαι και χορταζεσθαι, και, etc. Post verba *discendi*, quale est μυουμαι, Infinitivi verbo Finito junguntur absque *Articulo* [1]; et Verbum μυεω construi cum gemino Accusativo, notum est. Μυεω primò notat *doceo quæ ad sacra sive cultum Deorum pertinent*; hinc Passivè μυουμαι *initior sacris*; sed mox universè notat *instituor*, *edoceor*. Infinitivi illi *exponunt* quid Apostolus sibi voluerit per illud εν παντι και εν πασι.

et satiari et esurire). Χορταζειν Denominativum a χορτος *fœnum*, *gramen*, significat *fœno*, *gramine saginare*, et mox, ad homines translatâ voce, χορταζειν est *satiare* et χορταζεσθαι *satiari*. Hujus oppositum est πεινᾳν *esurire* [2], h. e. alimentis necessariis destitui. Idem aliis verbis repetit dum addit : *et abundare et penuriam pati.*

℣. 13. *omnia possum in eo qui me confortat*). Græce non est τα παντα, quasi sermo hic esset tantum de *illis omnibus*, quæ superiore Versiculo fuere indicata; sed scribitur παντα absque Articulo, adeoque intelligenda sunt *et* illa quæ ℣. 12 expressa sunt, *et* ea, quæ præterea ad hoc rerum genus pertineant. Ισχυω est *potens sum*, *polleo*, verbum scilicet Intransitivum; ergo παντα non est ejus verbi Casus, sed est *accusativus*, ut vocant, *quantitatis* [3]. Docet autem Apostolus, se illud animi robur quo omnia potest, non habere in ipso se, sed *in eo qui eum confortat*, nempe *in Christo*, qui me, inquit, gratiæ suæ auxilio intus corroborat. De dictione *in Christo*, vide quæ notavimus supra pag. 17. 34. 46.

℣. 14. *Verumtamen bene fecistis*). « Ne putarent Philippenses se rem supervacaneam aut parum gratam fecisse, quod Paulo pecuniam misissent, ut qui scriberet se non propter penuriam suam gavisum de eorum dono, propterea quod nosset contentus esse præsentibus possetque omnia pati, huic falsæ suspiciunculæ nunc occurrit, eos laudans, eorumque erga se beneficentiam commendans. » Estius. — Particula πλην cujus primaria potestas est *præter* [4], quando, ut hic, sententiam inducit quoquo modo præcedentis correctoriam, tantumdem valet ac ὁμως, recteque redditur *attamen*, *verumtamen*, *sed tamen.*

communicantes tribulationi meæ). Gr. Particip. Aor. συγκοινωνησαντες ver-

---

(1) Vide Kühner §. 637. b., et 639.

(2) De forma Infinitivi πεινᾳν pro πεινῆν, vide Winer. §. 13. 3.

(3) Vid. Kühner §. 556, *Anm.* 2.

(4) Vide Hoogeveen. *Doctr. Particul.* p. 526 et Hartung. Tom. II. 30.

tas : *quod mecum participes facti estis afflictionis meæ.* De Syntaxi Participii, Infinitivi loco, post καλως ποιειν, vide Kühner §. 653. 1. 2. §. 661., et Winer §. 46. 1; et Cf. Act. X. 33. — 2 Petr. I. 19. — 3 Joh. 6. Afflictionem suam sive Θλιψιν vocat Apostolus eum *statum*, in quo tum versabatur. Pecuniarium illud subsidium, quod ad eum miserant Philippenses, præclaro sanè encomio ornat, dum dicit per illud eos *in societatem venisse suæ afflictionis*, eosque sibi veluti pares facit.

℣. 15—16. Scitis autem et vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli : 16 quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis.

℣. 15—16. Οἴδατε δὲ καὶ ὑμεῖς, Φιλιππήσιοι, ὅτι ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου, ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας, οὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησεν εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως, εἰ μὴ ὑμεῖς μόνοι. 16 Ὅτι καὶ ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ ἅπαξ καὶ δὶς εἰς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε.

Paraphrasis. Ut autem et pristinæ vestræ erga me beneficentiæ memor sim, etiam vos scitis, Philippenses, non secus quam ego, quo tempore evangelium a me primùm annunciatum fuit in vestra regione, quando relinquebam Macedoniam, nullos fideles pro ministerio verbi sibi impenso pendia mihi dedisse, præter vos solos; nam et jam antequam Macedoniam relinquerem, quum essem Thessalonicæ, vos semel atque iterum mihi misistis, quæ in usus meos essent necessaria.

℣. 15. *Scitis autem et vos, Philippenses*). A laudato præsenti Philippensium erga se beneficio *transit* ad recolenda ea quæ jam ante hoc tempus ipsi exhibuerant, ut et horum se memorem gratus ostendat, et simul innuat Philippenses non primùm nunc erga eum beneficos sese præstitisse, sed quod nunc fecerant, id eos *de more* fecisse; quod quidem laudi ipsis vertebatur. Itaque particula δε (*autem*) transeuntis est, quasi diceret : Ut autem et pristinæ vestræ erga me beneficentiæ memor sim, scitis, Philippenses, *et vos* (και ὑμεις) id est, etiam vos haud secus quam ego.— Quid sciant, sequitur.

quod in principio Evangelii). Id est : quo tempore Evangelium in vestra regione, hoc est, in Macedonia, a me primùm annunciatum fuit. Sequitur distinctior notatio temporis :

quando profectus sum a Macedonia). Id est : quando relinquebam (Aor. ἐξῆλθον) Macedoniam. Agitur de primo suo discessu e Macedonia, de quo sermo est

Act. XVII. 14. 15. Et loquitur Apostolus de tempore elapso *statim* a plantata Ecclesia Macedonica. Itaque putandum est pecuniarium donum illi missum fuisse a Philippensibus quo tempore, relictâ Berœâ, proficisceretur Athenas (cf. Act. XVII. 14. 15). Ad hoc igitur tempus referendum est id quod Apostolus hic memorat.

nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti). Vox κοινωνειν τινι hic valet Gallicum : *se mettre en relation avec quelqu'un.* Quasi diceret : *aucune église ne se mit en relation avec moi, quant à un compte de donner et de recevoir.* Λογος hic, quemadmodum et Matth. XVIII. 23. XXV. 19. Luc. XVI. 2, valet *ratio*, quo sensu respondet Nostratium *rekening*, et Gallico *compte.* Ita Plautus (*Most.* I. 2. 146) dixit : *Bene ratio accepti atque expensi inter nos convenit.* Præpositionem εις hic recte reddideris *quod attinet ad*, ut Act. XXV. 20 [1]. Locutio metaphorica est, ducta a re mercatoria. « Alludit, inquit Corn. a Lapide, ad tabulas computuum et libros rationarios mercatorum, qui unâ libri parte vel tabula conscribunt sua data et exposita, alterâ accepta, quæ pro expositis receperunt. » Demptâ Metaphorâ, dicit : Nullus Christianorum cœtus pro ministerio Verbi sibi impenso stipendia mihi dedit, *nisi vos soli.* Cf. I. Cor. IX. 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

ỳ. 16. *quia et Thessalonicam*, etc.). ὅτι non pendet a præcedente οιδατε δε και ὑμεις, nam si hoc, Apostolus diceret : *etiam vos scitis non secus ac ego, vos mihi misisse, quæ in usus meos essent necessaria;* atqui insipida sit istiusmodi oratio. ὅτι hoc loco valet *nam*, ut hic sit nexus sententiarum : Merito dico vos mihi succurrisse quo tempore in vestra regione Evangelium primum a me fuit prædicatum, *nam et* jam tum quum essem Thessalonicæ, adeoque vel antequam Macedoniam relinquerem, semel atque iterum mihi misistis, quæ in usus meos essent necessaria. ὅτι και Belgicè hic verterem : *want ook reeds.* Pro *Thessalonicam* græce est εν Θεσσαλονικῃ, quod quomodo jungatur Verbo *motûs* explicat Kühner [2] : Verbum *motûs*, inquit, involvit notionem secutæ quietis, sicubi illi jungitur Præpositio cum Dativo, loco Præpositionis cum Accusativo. Ita Xenophonon (*Hellen.* IV. 15) cum prius dixisset, εις δε το Ἥραιον κατεφυγον, deinde scripsit, οἱ δ'εν τῳ Ἡραιῳ καταπεφευγοτες εξῃεσαν. *Semel et bis* græce est και ἅπαξ και δις, quod ob repetitum και significantius est : *non tantum semel, sed bis. In usum* græce sonat εις την χρειαν, i. e. *pour le besoin*; Oecumenius : εις τα χρειωδη δαπανηματα, *ad sumptus neces-*

---

(1) Cf. Winer §. 53, c. 8.

(2) §. 621. a. *Das Verb der Bewegung involvirt der Begriff der erfolgten Ruhe, wenn die Präpositionen mit dem Dativ statt der Präpositionen mit dem Accusativ stehen :* » Addit : « *das Moment der Ruhe (die Beziehung auf das dauernde Resultat der Handlung) muss alsdann als das vorherrschende aufgefasst werden können.* »

sarios faciendos. Articulus hic notat *necessitates eas*, *in quibus* versari Paulum Philippenses aut certo sciebant, aut saltem existimabant. Vox χρεια de *vitæ necessitatibus* dicta occurrit etiam Act. XX. 34. Rom. XII. 13, et Phil. II. 25. Verbum επεμψατε *absolute* hic ponitur, quemadmodum et Act. XI. 29.

℣. 17—18. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. [18] Habeo autem omnia, et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

℣. 17—18. Οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα, ἀλλ' ἐπιζητῶ τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα εἰς λόγον ὑμῶν. [18] Ἀπέχω δε πάντα, καὶ περισσεύω· πεπλήρωμαι, δεξάμενος παρὰ Ἐπαφροδίτου τὰ παρ' ὑμῶν, ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ.

Paraphrasis. Non hæc eò dico quòd expeto dona vestra, at requiro fructum vestris accrescentem rationibus. Sed nunc plenissimè habeò omnia, et abundo, planèque sum repletus postquam accepi ab Epaphrodito quæ ad me misistis; sunt hæc Deo veluti odor quidam suavis, sacrificium acceptum, gratissimum.

℣. 17. *Non quia quæro datum*). Laudaverat (℣. 14—17) Philippensium liberalitatem. Jam cavet ne quis suspicetur eum hoc fecisse, non tam ipsorum, quam sui potius causâ, quasi qui sic oblique peteret a Philippensibus, ut et deinceps pecuniaria subsidia illi mitterent. Est hic agnoscenda Ellipsis verbi λεγω, de quâ diximus supra ad ℣. 11.; quare vertas: *Non hæc eò dico, quia expeto dona vestra.* Græcè: επιζητῶ δομα scripsit cum Articulo, quia *Philippensium* donum intelligit, q. d. το δομα ὑμων. Dicit autem επιζητω, in Præsenti, ad denotandum esse hunc *constantem* animi sui statum, sic se *continuò* esse animo comparatum. Belgicè explicarem: *Niet dat het my te doen is om uwe gift, neen, maar het is my te doen om die vrucht, die*, etc.

sed requiro fructum abundantem in ratione vestri). Græcè εις λογον ὑμων h. e. *in vestras rationes*, Belgicè: *voor ulieder rekening;* neque enim aliter hic quam supra (℣. 15) vox λογος intelligenda est. Τον καρπον (*lucrum spirituale*) pro Prædicato habet integrum hoc τον πλεοναζοντα εις λογον ὑμων. Belgice: *Doch het is my te doen om de vrucht, die* (daardoor) *talryker word voor ulieder rekening.* Bene Estius: (i. h. l.): « Sensus est: Sed requiro fructum accrescentem rationibus vestris. Si quid a vobis accipio, vestrum est lucrum et commodum, vester fructus ex hoc augetur..... Fructum autem intelligit lucrum spirituale, quod sibi comparant apud Deum, qui necessaria ministris Evangelii liberaliter suppeditant. »

℣. 18. *Habeo autem omnia et abundo).* Apostolus ut ne cuipiam videretur novum quoddam expetere subsidium, hic significat ea quæ acceperat plenissime sibi sufficere, atque ita quidem ut etiam in abundantia esset. Itaque Particula δε vim suam *adversativam* etiam hoc loco obtinet. Præpositio απο in απεχειν hic *auget* vim verbi [1], ut valeat *plenissimè habeo.*

Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis). Repletus sum, inquit, postquam accepi (δεξαμενος) ab Epaphrodito quæ a vobis missa sunt (τα παρ' ὑμων *de votre part*; *van uwentwege*). Emphatica est consecutio Verborum απεχω, περισσευω, πεπληρωμαι.

odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo). Appositio sunt hæc ad præcedens τα. Apostolus declarat quid sit donum Philippensium habitâ ratione Dei. Dativus τῳ Θεῳ ad totam sententiam pertinet. Itaque donum Philippensium Deo est οσμη ευωδιας (cf. Levit. I. 9. רֵיחַ־נִיחוֹחַ לַיהוָה) *odor suavitatis*, hoc est *odor suavis*, quum sit in hac locutione Substantivum loco Adjectivi positum [2]. Sensus est: *res Deo gratissima.* Alluditur ad vetera sacrificia. Θυσια δεκτη *sacrificium acceptum*, i. e. gratum, et ευαρεστος, *bene placens Deo.* Triplici modo idem dicitur. « Omne bonum opus factum eo fine, ut sancta societate Deo inhæreatur, tamquam summo ac beatifico bono, generali ratione sacrificium est, docente Aug. *de Civit. Dei*, Lib. X. 7; quo in genere Scriptura numerat imprimis opera beneficentiæ erga proximos. Unde est illud (ad Hebr. XIII): *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* » Estius i. h. l.

℣. 19—20. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu. 20 Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum: Amen.

℣. 19 — 20. Ὁ δὲ Θεός μου πληρώσει [a] πᾶσαν χρείαν ὑμῶν κατὰ τὸν πλοῦτον αὐτοῦ ἐν δόξῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. 20 Τῷ δὲ Θεῷ καὶ πατρὶ ἡμῶν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Paraphrasis. Deus autem meus pro sua opulentia largiter vobis, ut in Christo Jesu existentibus, omnia suppeditet quæ vobis necessaria sint.

Deus autem Triunus et Pater noster debitâ illi laude glorificetur in omnem æternitatem.

---

(1) Cf. Zeunium ad Viger. Cap. IX. Sect. i. XVII.

(2) Cf. Winer §. 34. 2. b.

VARIANS LECTIO.

*) Pro πληρωσει legitur πληρωσαι (impleat) in D*FG, Minuscc., Ital. Vulg. Chrys. Theod. Theophyl. Ambigi posse videtur, utra germana lectio sit.

ỳ. 19. *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas*). Si legas *impleat*, Apostolus *votum* hic exprimit; si vero malis *implebit*, erit promissio, qua Philippenses fiduciâ in Deum animat. Græce est: πασαν χρειαν ὑμων, h. e. suppeditabit vobis *omnia quæ vobis necessaria sunt*, idque S. Chrysostomum secutus, refero ad necessitates corporales. Quod autem addit κατα τον πλουτον αὑτου *pro suâ opulentia*, eo confirmat præcedentem promissionem; q. d. qui abunde et large necessaria facile vobis dare potest.

in gloria). εν δοξη. Difficile dictu est, quid Apostolus sibi per hoc voluerit. Fieri potest, ut sicut fit (vide Winer §. 56. 1), εν δοξη dictum hic sit adverbialiter pro ενδοξως, quod tum jungendum sit cum Verbo πληρωσει, et reddendum *splendidè*, h. e. *largiter*. Cf. I Tim. VI. 17. Ego vere exempla desidero, ex quibus constet istiusmodi notionem Adverbio ενδοξως umquam fuisse subjectam.

in Christo Jesu). Fiet hoc illis ut *in Jesu Christo* existentibus. Nam et temporalia bona Christus nobis promeruit. Cf. Matth. IV. 33. « *Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.* »

ỳ. 20. *Deo autem et Patri nostro gloria*). Apostolus hic, (quemadmodum et Rom. XVI. 27. I. Tim. VI. 16. — 2 Tim. IV. 18. et Hebr. XIII. 21) glorificatione Dei, veluti epiphonemate quodam, epistolam suam claudit. Particula δε *transeuntis* est ad eam Doxologiam. « Deus triunus, inquit, et Pater noster, cujus filii adoptivi sumus nos, glorificetur in omnem æternitatem. » Ad ἡ δοξη supple ειη *sit*, quod postulat sequens *Amen*; hoc enim *precantis* sive *optantis* est. Articulus in ἡ δοξα indicat gloriam eam, *quæ* Deo ut tali ab omni creatura *debetur*, secundum effatum Apoc. IV. 11. In locutione εις τους αιωνας των αιωνων æternitas cogitatur tamquam indefinita quædam sæculorum series. Repetitio illa nominis ejusdem per Genitivum Pluralem, illius notionem *vario modo intendit*. Eadem ratione loquendi dicitur τα ἁγια ἁγιων *sancta sanctorum* (i. e. Sanctissimum); et *vanitas vanitatum*, maxima vanitas; et *canticum canticorum*, canticum pulcherrimum; et *cœli cœlorum*, cœli altissimi: sic *in sæcula sæculorum* est *in tempora quæ possint cogitari remotissima*; ceterum locutio hæc refert Hebraicam לְעוֹלְם עוֹלָמִים.

Amen). h. e. *sic fiat*. *Αμην*, formula est precantis sive optantis. Est autem ipsa vox Hebraica אָמֵן, Nomen Adjectivum Masc., quod notat *verus*, *firmus*. Cf. Apoc. III. 14. Sed et Substantivè notat *το firmum*, *verum*, idque fere adhibetur adverbialiter, vel *asseverandi causâ* in principio orationis, ubi sæpè duplicatur, vel *approbandi*, *precandi*, *optandi causa* in fine orationis, ut in præsenti loco.

℣. 21 — 23. Salutate omnem sanctum in CHRISTO JESU. 22 Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. 23 Gratia Domini nostri JESU CHRISTI cum spiritu vestro. Amen.

℣. 21 — 23. *Ἀσπάσασθε πὰντα ἅγιον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* 22 *Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ σὺν ἐμοὶ ἀδελφοί. Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας.* 23 *Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν* a).

Paraphrasis. Meis verbis salutate in CHRISTO JESU quotquot sunt apud vos Christiani peregrini. Salutant vos qui hic Romæ mecum sunt Christiani omnes, maximè verò domestici Cæsaris. Gratia Domini nostri JESU CHRISTI sit cum spiritu vestro. Amen.

VARIANS LECTIO

a) Pro *μετα παντων ὑμων* legitur *μετα του πνευματος ὑμων* in ADEFG, Minuscc. et in Verss. Copt. Sah. Æth. Arm. Vulg. Ital., et apud DAMASC. aliosque; eaque lectio alteri præferenda videtur.

℣. 21. Claudendæ epistolæ Apostolus varias annectit salutationes, quod et in plerisque ejus epistolis observare est; nam excipiuntur epistolæ, ad Galatas, ad Ephesios, posterior ad Thessalonicenses, et prior ad Timotheum.

omnem sanctum). Quum numero utatur singulari, illud *παντα ἅγιον* valet *unumquemque* sanctum, nemine excepto. Et quum ad universam Philippensium Ecclesiam epistola data sit, *sancti* qui hic præterea commemorantur, intelligendi videntur

Christiani externi et peregrini, qui tunc temporis Philippis commorarenter. Nisi forte, quæ JUSTINIANI conjectura est, hic alloquatur præcipuè Presbyteros et Diaconos, quibus mandet ut singulis fidelibus salutem dicant. Christi fideles ab Apostolo cur *sancti* vocentur, supra (ad Cap. I. ℣. 1.) diximus. Illic verba εν Χριστῳ Ιησου jungenda erant cum τοις ἁγιοις; nam cum aliis verbis ibi jungi non poterant, et epistolæ *inscriptioni* recte convenit *accuratior* designatio personarum ad quas illa datur. In præsenti vero loco verba εν Χριστῳ Ιησου jungenda esse non cum voce ἁγιον sed cum ασπασασθε, id quidem suadent salutandi formulæ quæ leguntur ad Rom. XVI. 22 et 1 Cor. XVI. 19. Eæ verò salutandi formulæ, quæ leguntur ad Rom. XVI. 3. 8. 9. 10. 13, huc non faciunt. Adjectio autem verborum *in Christo Jesu* ad vocem *salutate*, notat impertiendam salutationem non esse profanam aut vulgarem, sed distincte eam designat tamquam *Christianam*: Meis verbis, inquit Apostolus, quotquot apud vos sint Christiani peregrini, singulos salutate in CHRISTO JESU, h. e. apprecando illis ea bona quorum CHRISTUS nobis auctor est.

℣. 22. Inter eos qui suo nomine Philippenses salvere jubent, primo loco ponuntur *fratres qui cum Apostolo erant*, οἱ συν εμοι αδελφοι. Qui quum distinguantur a ceteris *sanctis* qui Romæ erant, illos intelligimus, quibus PAULUS familiarius uteretur; eos imprimis cogita, qui Romæ ipsi cooperatores erant in prædicando Evangelio; nam si *solos* hos indicare voluisset, scripsisset, arbitror, non οἱ συν εμοι αδελφοι, sed οἱ συνεργοι μου, ut fecit Rom. XVI. 3. 9. 21, et 2 Cor. VIII. 23. Colos. IV. 11. Philem. 24, et in ipsa hac ad Philippenses epistola, Cap. II. 25. IV. 3. Itaque, cum latioris significationis vocabulo (οἱ αδελφοι) utatur, sub formula οἱ συν εμοι αδελφο, præter συνεργους ejus, etiam illi videntur intelligendi qui PAULO vincto ministrarent. Quamquam quosnam reapse hic Apostolus intellexerit, a nobis conjici tantum potest, non vero certò dici. Rem, ut erat, rescire poterant Philippenses ab EPAPHRODITO, quum is aliquamdiu Romæ cum PAULO fuisset.

Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt). *Omnes sancti* sunt Christiani Romæ degentes omnes, præter eos qui modo dicti sunt οἱ συν εμοι. Ex ceteris autem illis Christianis οἱ εκ της Καισαρος (sc. NERONIS) οικιας *enixius* quam reliqui PAULUM rogaverant ut illorum nomine salvere juberet Philippenses. Οἱ εκ οικιας τινος possunt esse ejus *cognati* [1], sed et ejus *familiares* aut *ministri* varii ordinis. At fuisse ex *cognatis* NERONIS qui ad Christianam religionem converterentur, historia non docet. Quare intelligendi hic erunt aut familiares ejus aliquot, aut nonnulli ex ejusdem famulitio, aut aliquot tam ex unis quam ex alteris [2].

---

(1) Vide RAPHEL. in h. l.

(2) De SENECA et LUCANO poëta inter hos Christianos εκ της Καισαρος οικιας non computandis, vide ESTIUM, in h. l. Refert CHRYSOSTOMUS (Hom. X.

℣. 23. *Gratia — cum spiritu vestro*). Consueta est Apostoli apprecatio in fine suarum epistolarum, eâque epistolas suas veluti obsignat.

---

in 2 ad Timoth.) Neronis pincernam quendam, et (adv. Oppugnatores vitæ monast.) quamdam ejusdem Neronis concubinam (παλλακίδα) S Pauli opera ad fidem Christianam fuisse conversos. Id vero factum videtur postquam suam ad Philippenses Apostolus scripsisset epistolam; nam Chrys. in commentario suo ad locum epistolæ de quo hic agimus, ea de re omnino tacet. De præsenti quæstione videsis opus inscriptum : *Trois mémoires relatifs à l'histoire ecclésiastique des premiers siècles* : 1. *Les chrétiens de la maison de Néron* 2. *Les chrétiens de la famille de Domitien*. . . 3. *Essais de Christianisme de quelques empereurs* par J. G. H. Greppo, *vicaire général de Belley*, etc. etc. Paris. Debecourt. 1840. — Evellium et Torpetem, Neronis familiares fuisse et martyrio sub eo coronatos, testatur, referente Estio (ad h. l.), Romanum Martyrologium ad diem 11 et 17 Maii.

CONTINUA EPISTOLÆ PARAPHRASIS.

Paulus *et* Timotheus, Jesu Christi *in prædicando Evangelio ministri*, *omnibus Christianis qui Philippis versantur simulque sacerdotibus eorum et diaconis*. Optamus vobis gratiam et omne bonum salutare a Deo Patre nostro et a Domino Jesu Christo.

Quotiescumque vestri pie recordor, (semper autem et in unaquaque precatione mea cum gaudio pro omnibus vobis preces Deo adhibeo), toties Deo meo gratias ago quòd suo quisque modo promovendæ rei Evangelicæ nobiscum cooperati estis inde ab eo tempore, quo primùm Christo nomen dedistis, usque ad præsentem diem; quod dum facio, unà confido fore ut qui opus præclarum in vobis incœpit Deus, illud et efficere pergat usque ad extremum vestri uniuscujusque vitæ diem, uti convenit me eo animo pro vobis omnibus affectum esse, quoniam impense vos amo quippe qui omnes socii mei estis in gratia illa quæ sita est in patiendo ob Christi causam, et consequenter in re Christiana defendenda ac stabilienda. Nam testis mihi Deus est quam vehementer omnes vos amem amore tali, quali Jesus Christus amabat. Et quod pro vobis a Deo peto, hoc est, scilicet, ut ad amorem illum vestrum in Deum accedat continuum incrementum scientiæ in re religiosa et omnimodi judicii, ut agnoscatis ea quæ probanda sunt, idque in eum finem ut in diem extremi judicii sitis vitæ integri scelerisque puri, ac bonis operibus, quæ justitiæ fructus sunt, per Jesu Christi gratiam repleti, quod cedit in laudem et gloriam Dei.

Sed jam ad res meas quod attinet, scire vos volo, fratres, ea quæ mihi acciderunt, rei evangelicæ non obfuisse sed potius profuisse, idque ita quidem ut me in vincula conjectum esse solùm utpote Christianum, per tota castra Prætoriana et ceteris omnibus per Romam incolis innotuerit; ac plerique ex fratribus Domino juvante animosiores ex meis vinculis effecti, magis auderent Christum intrepide prædicare quam ausi essent si ego ejus causâ vincula non tulissem.

Sunt sanè quidem etiam tales qui ex invidia et vitiosa æmulatione Christum prædicant; sed sunt quoque qui id faciunt ex benevolentia erga me : et illi quidem, qui suo erga me amore ad hoc ducuntur, Christum prædicant quippe qui sciun

mei hoc esse officii et ad hoc me esse constitutum ; qui verò ex invidiosa æmulatione ad hoc moventur, non bonâ mente illud faciunt, quippe qui opinantur se ita mihi vincto ærumnas creare. Quid enim? Attamen, quocumque tandem modo, sive bona mente sive mala, CHRISTUS prædicatur; et de hoc ego gaudeo; sed et aliquando gavisurus sum de hoc; nam sat scio illud quod isti moliuntur, juvante Deo a vobis pro me exorato, allaturum mihi esse hanc salutem ut, prout desidero et spero, in nullo casu ab officio deflectam, sed, exequente me officium meum cum summa intrepiditate, CHRISTUS sicut hucusque semper ita et deinceps magnificetur in corpore meo, sive diutius vivere mihi contingat, sive occidendus sim. Nam mihi quidem hoc est vivere, quod CHRISTUM unum cogitare, illi inservire, illum magnificare; et ejus causâ mortem oppetivisse, lucrum puto. Sed quoniam in mortali hac carne vitam producere, quoniam hoc mihi tantumdem est ac Apostolici laboris proferre fructus, sic etiam ignoro utrum eligere debeam, vivere an mori; teneor autem utrinque, quippe qui desidero migrare ex hac vita et esse cum CHRISTO, quod nempe longe melius est quam diutius permanere in hac carne, sed posterius hoc ad vestram salutem magis est necessarium; quo fit ut etiam inde tenear. Et quum illud mihi persuasum sit, satis scio mansurum me esse in vita et vobiscum omnibus permansurum ad vestrum in disciplina Christiana profectum, et ad augendum fidei vestræ gaudium, ut in me ministro per iteratum meum ad vos adventum habeatis quo abundet in CHRISTO vestra gloriandi materies. Vitam solummodò agite dignam Religione quam profitemini; ut, sive cum venero et videro vos sive absens sim, hoc audiam de vobis, scilicet quod perseveretis in servanda concordia, uno omnes animo mecum concertantes pro Religione Christianâ, et in nulla prorsus re consternari vos patientes ab adversariis. Quod vos persequuntur id illis quidem est indicium futuri interitûs, vobis verò salutis aliquando obtinendæ; et hæc vestræ salutis elaboratio non vobis ipsis sed Deo accepta referenda est; nam ex gratuito Dei dono vobis obtigit, non tantùm ut credatis in CHRISTUM, verùm etiam ut calamitates ejus causâ perferatis, quippe qui cum adversariis Christiani nominis tale habetis certamen, quale et olim me habentem vidistis et nunc auditis me iterum subeuntem.

Ergo, Philippenses, si quis vobis est affectus Christianus quo moveamini ad erigendos afflictos; si quod a vobis exspectari potest solatium, quale non solet fraterna charitas negare ærumnosis; si quod est inter me et vos Spiritûs sancti consortium; si qua demum sunt vobis viscera misericordiæ, quæso, ad explendum gaudium quod ex vobis capio, hoc agite: animorum inter vos colite concordiam; æquali amore invicem vos mutuò prosequamini; unum idemque velitis atque nolitis

quasi non nisi anima una essetis omnes ; nihil faciatis ex vitiosâ æmulatione aut vanæ gloriæ studio, sed per animi demissionem quisque alium existimet se meliorem ; nec suam tantùm, sed et aliorum quoque utilitatem et commodum quisque spectet. Nam ejusmodi affectus debet esse in animis vestris qualis fuit in Christo Jesu ; qui dum in forma Dei erat, non cupide tenaciterque retinuit suam illam cum Deo Patre æqualitatem, sed, assumptâ servi formâ, semet ipse depressit humanam indutus naturam et tamquam verus homo in omnibus deprehensus. Humiliavit semetipsum Deo Patri obedientem se præstando eò usque ut ne mori quidem recusaverit, idque morte crucis. Propter quam obedientiam Deus eum vicissim ad summum honoris fastigium evexit, nomenque illi donavit quodvis aliud nomen dignitate excedens, ut ad nomen Jesu genua flectant rationales creaturæ omnino omnes, angeli, homines, dæmones, atque ita Dominum ac Deum esse Jesum Christum omnis lingua confiteatur ad gloriam Dei Patris.

Itaque, dilectissimi, sicut ad hoc usque tempus semper Deo obedientiam præstitistis, ita porrò illud facite, nec tantùm ad quem modum id faciebatis excitatore me præsente, sed nunc, me absente, multo magis sollicitè Deo obedire pergite, vestramque ita salutem operari. Macti animo, Philippenses! adest enim adjutor Deus, qui ad amorem suum declarandum operatur in vobis et velle et facere. Quæcumque autem salutis vestræ operandæ causâ præstanda sunt, ea facite sine ulla obmurmuratione et incunctanter, ut sitis irreprehensibiles et vitæ integerrimi, Dei filii immaculati in medio hominum pravorum et perversorum, quos inter, ut in mundo cœlestia sidera lucent, vos lucetis, utpote Evangelici verbi lumen vitâ vestrâ et moribus illis admoventes. Tales si vos præstatis, Philippenses, fiet indè ut in diem Christi nanciscar causam gloriandi me non inanem operam in vobis posuisse. Sed si vel hoc accidat, ut sanguis meus veluti libamen aliquod effundatur supra sacrificium fidei vestræ Deo assiduò a me oblatum, equidem gaudeo deque eo vobis omnibus congratulor; atque etiam vos vicissim de eo gaudeatis mihique congratulemini. Verùm est mihi spes in Domino Jesu reposita, fore ut brevi Timotheum mittam ad vos, ut et ego hilari animo sim ubi res vestras cognovero. Nam quem mittam, præter hunc, neminem habeo pari mecum animo præditum, talem, inquam, qui germanè res vestras curaturus sit. Omnes enim sua ipsorum quærunt, non quæ Jesu Christi sunt. Probatam autem Timothei virtutem nostis, eum nempe, sicut patri inservire solet filius, ita mecum rei Evangelicæ promovendæ inserviisse. Hunc igitur ad vos mittere spero quamprimùm rerum mearum exitum perspexero; sed confido in Domino fore ut et ipse brevi ad vos veniam.

Necessarium autem duxi Epaphroditum fratrem meumque in re Evangelica cooperatorem et commilitonem, vestrum vero Episcopum atque in meam sustentando inopiam ministrum, jam nunc ad vos remittere, quandoquidem vos omnes revidendi tenebatur desiderio et mœstus erat propterea quod audieratis illum ægrotantem. Et verò ægrotavit, atque ita quidem ut morti proximus esset; sed Deus ejus misertus est; nec ejus solùm verùm etiam mei ne dolor mihi ad dolorem accederet. Itaque maturius quam alias fecissem, Epaphroditum ad vos remisi, ut eum conspicati iterum gaudeatis, et ego minore in tristitia sim. Proinde summo gaudio et tamquam Christiani illum excipite, talesque viros magni æstimate; nam merè propter causam Evangelii morti proximus fuit, quum valetudini suæ male consuluisset ut quod publico vestro charitatis erga me officio deerat, ipse suppleret.

Quod reliquum est, fratres mei, gaudete in Domino.

Eàdem de re vobis scribere me quidem non piget, vobis vero tutum est. Observate canes, observate malos operarios, observate *concisos*! Nam *circumcisi* verè ita dicti nos demùm sumus, nos, inquam, qui per Spiritum Sanctum Deum colimus, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne nostram habemus fiduciam; quamquam ad me quod attinet, non mihi desunt causæ habendi istiusmodi fiduciam. Si quis alius censetur habere cur in carne confidat, talis censendus sum ego magis: circumcisus sum octavo post nativitatem die, oriundus ex stirpe Jacobæâ, Benjamita, prognatus Hebræus ex patre et matre Hebræis; ad interpretationem legis quod attinet, Pharisæus; quod ad zelum pro instituto Mosaico, Christianorum persecutor; et ad legalem quod attinet justitiam, talis quem nemo jure reprehenderet. Sed quæcumque habebam istiusmodi commoda sive lucra, ipsa hæc, Christi causâ, pro damno habenda esse duxi. Et enimvero etiamnum duco omnia lucra illa esse damnum ob præstantiam bonorum, quæ confert cognitio Jesu Christi Domini mei dilectissimi; cujus causâ lucrorum omnium illorum jacturam feci eaque pro stercore habeo, ut ipsum lucrifaciam et tamquam mystici ipsius corporis membrum assiduò inveniar in illo, non habens meam ex observatione Legis partam justitiam, sed habens illam quæ apprehenditur per fidem Evangelio præstitam, illam, inquam, quæ a Deo auctore est et fidei superstruitur; ut ita Christum experientiâ cognoscam, et efficaciam resurrectionis ejus, et communionem perpessionum ejus, ipsius morientis imaginem in me referens, in eum finem ut, si quo modo possim, perveniam ad beatam illam resurrectionem mortuorum, quam justi exspectant. Non dico me beatitatis illius præmium jam quasi tenere aut metam jam attigisse; verùm continuo cursu

eò contendo, experiens si forte possim præmium illud apprehendere, quod ut apprehenderem, ipse apprehensus fui a Christo Jesu. Ita planè est, fratres! ipse ego de me non judico me illud præmium jam veluti manibus tenere; verùm id unum ago, scilicet oblivioni tradens quæ a tergo sunt, ad ea vero quæ sunt a fronte nervis omnibus contendens, curro quam possim celerrimè versùs scopum, ad bravium, inquam, cujus obtinendi causâ de cœlo a Deo fui vocatus. Quicumque ergo inter perfectiores sumus, ita de perfectione Christiana sentiamus; quodsi ea de re aliter sentitis, confido fore ut Deus et hanc rem vos edoceat. Interim ad quam perfectioris vitæ rationem jam pervenimus, secundum hanc incedamus, nihil ab eadem deflectamus!

Me imitemini, Fratres, et ad imitationem observate eos qui vitam suam instituunt ad exemplum quod nos vobis præbuimus. Multi enim vivunt de quibus cum apud vos essem sæpe dicebam vobis nunc autem et cum lacrymis dico, esse eos inimicos crucis Christi; quorum finis erit perditio æterna; qui ventri suo quasi Deo cuidam inserviunt, quique gloriam suam collocant in rebus turpissimis; tales denique qui non nisi terrestres habent affectus. Noster enim municipatus in cœlis est; unde etiam tamquam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui corpus nostræ afflictionis transformabit, quo fiet ut sit conforme corpori ipsius glorioso; idque facturus est secundum eam potentiam, qua potest sibi etiam subjicere universam creaturam.

Itaque fratres mei dilectissimi, qui gaudio mihi estis et gloriæ, vos constanter agite eam, quam dixi, vitam benè Christianam, charissimi! Evodiam precor pariterque et Syntychen precor, concordes ut esse velint in fungendo sacro suo munere. Næ, et te rogo, o mi germane collega, tu ad hoc opitulare illis, quippe quæ mecum laborarunt in propaganda re Christiana quemadmodum et Clemens et ceteri cooperarii mei quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Gaudete semper in Domino cui uniti vivitis; iterum dico, gaudete. Humanitas vestra hominibus sine discrimine omnibus innotescat experientiâ vestræ erga illos agendi rationis, Propè est Dominus invocantibus eum. Itaque ne ulla in re sitis anxiè solliciti; sed si quam ob rem perturbemini, eam per preces vestras Deo commendate, simul illi testando gratum vestrum animum; fiet inde ut omnem intellectum superans pax Dei vobis communicata mentes vestras custodiat, quo perseveretis esse in Christo Jesu. Prætereà, fratres, quæcumque vera sunt, quæcumque honesta atque decora, quæcumque justa, quæcumque pudica, quæcumque amabiles vos reddant iis quibuscum conversemini, quæcumque vobis et christianismo bonam famam concilient, quidquid tandem in numero virtutum habetur, quidquid laude dignum est, ad hæc animum attendite; quæ et didicistis me docente et ab aliis audistis aut ipsi vidistis a me agi, hæc facite, et Deus auctor pacis auxilio suo vobis aderit.

Gavisus sum in Domino vehementer quòd tandem aliquando refloruistis quod ad mei curam habendam attinet; quâ de re solliciti quidem eratis, sed non abundabatis. Non hæc eò dico quòd egestate affligebar; nam ad me quod attinet, ego didici præsentibus contentus esse. Scio et affligi egestate, et versari in abundantiâ; usquequaque edoctus sum: et satiari et esurire, et abundare et pati penuriam; omnia possum illi unitus qui me gratiæ suæ auxilio intus corroborat.

Sed tamen rectè fecistis quod in societatem venistis meæ afflictionis. Ut autem et pristinæ vestræ erga me beneficentiæ memor sim, etiam vos scitis, Philippenses, non secus ac ego, quo tempore evangelium a me primùm annunciatum fuit in vestra regione, quando relinquebam Macedoniam, nullos fideles pro ministerio verbi sibi impenso stipendia mihi dedisse, præter vos solos; nam et jam antequam Macedoniam relinquerem, quum essem Thessalonicæ, vos misistis quæ in usus meos essent necessaria. Non hæc eò dico quòd expeto dona vestra, at requiro fructum illum qui vestris accrescat rationibus. Sed nunc plenissimè habeò omnia, imo abundo, planèque repletus sum postquam accepi ab Epaphrodito quæ ad me misistis; sunt hæc Deo veluti odor quidam suavis, sacrificium acceptum, gratissimum. Deus autem meus pro sua opulentia largiter vobis, ut in Christo Jesu existentibus, omnia suppeditet quæ vobis necessaria sint.

Deus Triunus et Pater noster debitâ illi laude glorificetur in omnem æternitatem.

Meis verbis salutate in Christo Jesu quotquot sunt apud vos Christiani peregrini. Salutant vos qui hic Romæ mecum sunt Christiani omnes, maximè verò domestici Cæsaris. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro. Amen.

INDICES.

INDEX. I. RERUM ATQUE VERBORUM NOTABILIUM ET LOCORUM S. SCRIPTURÆ QUÆ OBITER ATTINGUNTUR.

A 18

II. INDEX CODICUM UNCIALIUM EPISTOLARUM PAULINARUM.

Codex A. *Alexandrinus*, qui censetur exaratus sæc. V. Mutilus est in 2ª ad Corinth. a Cap. IV. 13. usque ad XII. 7.

Codex B. *Vaticanus*. Censetur exaratus sæc. IV. Desunt epistolæ utraque ad Timotheum, ad Titum, et ad Philemonem. Præterea quæ leguntur inde ab Epistolæ ad Hebræos Cap. IX. 14, ætatis sunt multo recentioris.

Codex C *Regius*. Censetur exaratus V. vel VI. sæculo. Mutilus est Rom. II. 5—III. 21; IX. 6 — X. 14; XI. 31 — XIII. 10; I Cor. VII. 18. — IX. 6; XIII. 8 — XV. 40; 2 Cor. X. 9—Gal. I. 20; Ephes. I —II. 18; IV. 17 —Philipp. I. 22; III. 5. usque ad finem; I Thess. II. 9. usque ad finem; Hebr. I. 1—II. 4; VII. 26—IX. 15; X. 24—XII. 15; I Tim. I. 1—III. 9; V. 20. usque ad finem.

Codex D. *Claromontanus*. Exaratus sæc. VII vel VIII. Mutilus est Rom. I. 1—7; ab alia manu, antiqua tamen, scripta sunt, quæ leguntur I Cor. XIV. 13—22. Epistola ad Hebræos recentiori ætate addita fuit.

Codex E. *Sangermanensis*. Ex sæculo XI. Mutilus est I Tim. I. 1 —VI. 15; Hebr. XII. 8. usque ad finem.

Codex F. *Augiensis*. Sæc. X. Mutilus est Rom. I. 1—III. 8, et deest Ep. ad Hebræos.

Codex G. *Boernerianus*. Sæc. IX. Mutilus est Rom. I. 1—5; II. 16—25; I Cor. III. 8 —16; VI. 7—14; Coloss. II. 2—8; Philem. 21—25; et deest epistola ad Hebræos.

Codex H. *Coislinianus*. Sæc. VII. Fragmenta continet hæc: I Cor. X. 23—39; XI. 9 —16; Gal. I. 4—10; II. 9—14; I. Tim. III. 7 — 13. Tit. I. 1—3; I. 15 —II. 5; III. 13 usque ad finem; II. 11—16; III. 13—18; IV. 12—15.

Codex I. *Angelicus*. Sæc. IX. Mutilus est Hebr. XIII. 1 usque ad finem.

Minuscc. sunt codices litteris *minusculis* sive *cursivis* scripti indè a sæc. X usque ad XVI.

Signum stellulæ (*) notat sic legi a prima manu; si bis scribitur (**), significatur sic correctum esse in codice.

Aeth. notat versionem Aethiopicam factam sæc. IV.
Arm. notat versionem Armenicam factam sæc. V.
Copt. notat versionem Copticam factam sæc. III.
Ital. notat versionem Italam (Latinam antehieronymianam factam sæc. I. vel II).
Sahid. notat versionem Sahidicam factam sæc. III.
Syr. notat versionem Syriacam (Peshito) factam sæc. II.

III. INDEX LIBRORUM QUORUMDAM NOTIS COMPENDIARIIS PASSIM CITATORUM.

Scriptorum Veterum nova collectio e Vaticanis Codicibus edita ab Angelo MAIO Bibliothecæ Vaticanæ præfecto. Romæ. 1833.

Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms bearbeitet von Georg. Benedict WINER. Ed. 5. Leipzig. 1844.

Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache wissenschaftlich. ausgearbeitet von Raphael KÜHNER. 2 Theile. Hannover. 1834.

Clavis novi Testamenti philologica, auctore C. A. WAHL. Lipsiæ. 1843.

Wissenschaftliche Syntax der Griechischen Sprache von G. BERNHARDY. Berlin. 1829.

Francisci VIGERI de præcipuis Græcæ dictionis idiotismis liber, cum animadversionibus HOOGEVEENI, ZEUNII, et HERMANNI. ed. 3. Lipsiæ 1822.

Matthiæ DEVARII liber de græcæ linguæ Particulis cum adnotationibus KLOTZ. 2 vol. Lipsiæ 1842.

Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura Jac. FACCIOLATI, opera et studio Aegidii FORCELLINI lucubratum. Editio in Germania prima, IV. vol. in Fol. Schneebergæ. 1833.

Ausführliche griechische Grammatik von August MATTHIÄ. Ed. 2.—2 Theile. Leipzig 1825.

RAPHELII annotationes Philologicæ in N. T. ex XENOPHONTE, POLYBIO, ARRIANO et HERODOTO collectæ. Tomi 2. Lugduni Batavorum. 1747.

Henrici HOOGEVEEN doctrina Particularum linguæ Græcæ; in epitomen redegit SCHÜTZ. ed. 2. Lipsiæ. 1806.

Thesaurus Græcæ linguæ ab H. STEPHANO constructus. Tomi. X in Fol. Editio Londinensis 1816-26.

Joh. Casp. SUICERI Thesaurus ecclesiasticus e Patribus Græcis. 2 vol. Fol. Amstelodami. 1682.

Bibliorum Sacrorum Latinæ versiones antiquæ, seu vetus Italica.... opera et studio D. Petri SABATIER. 3 vol. in Fol. Parisiis, 1751.

Joh. A. H. TITTMANN, de Synonymis in novo Testamento. Lipsiæ. 1829.

Compendium antiquitatum Græcarum e profanis sacrarum. Collegit Ch. BRÜNINGS. ed. 3. Francofurti ad Mœnum. 1759.

Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache von Johann Adam HARTUNG. 2 Th. Erlangen 1832.

Lateinische Grammatik von C. G. ZUMPT, ed. 8. Berlin. 1836.

Lamberti Bos ellipses Græcæ. ed. H. Schaefer. Lipsiæ 1808.

ERRATA CORRIGE : p. 55. pro *ad* l. 1. *pag.* 12. lege p. 17.—p. 68. *pro Præpos.* ἐν lege *Præposit.* ἐξ. — p. 123. In Paraphrasi pro *mistinisterio* lege *ministerio*. ibid. pro *pendia* lege *stipendia*.

APPROBATIO.

Opus, quod inscribitur Joannis Theodori Beelen, *Can. hon. eccl. cathedr. Leod. S. Theol. Doct.*, *in Academ. Cath. Lovan. S. Script. et lingg. orientt. Prof. ord.* Commentarius in Epistolam S. Pauli ad Philippenses, *editio secunda, auctior et correctior*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis, et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 30 Aprilis 1852.

P. F. X. DE RAM.

Rect. Univ.

OUVRAGES DU MÊME AUTEUR :

JOANNIS THEODORI BEELEN, Can. Hon. Eccles. Cathedr. Leod., S. Theol. Doct., in Univ. cath. Lovan. S. Scrip. et Lingg. orientall. Prof. ord. COMMENTARIUS IN EPISTOLAM S. PAULI AD PHILIPPENSES. Secunda editio, auctior et correctior. Lovanii 1852. *Prix : fr.* 3-50.

JOANN. TH. BEELEN, etc. COMMENTARIUS IN ACTA APOSTOLORUM. 2 volumes, petit in-4°. Prix : 8 francs.

JOANN. TH. BEELEN, etc. CHRESTOMATHIA RABBINICA ET CHALDAICA, cum notis grammaticis, historicis, theologicis, glossario, et lexico abbreviaturarum, quæ in Hebræorum scriptis passim occurrunt. 3 vol. in 8°. *Prix : 9 francs.*

JOANN. TH. BEELEN, etc. LIBER SAPIENTIÆ GRÆCE SECUNDUM EXEMPLAR VATICANUM ROMÆ EDITUM. In usum suorum auditorum, additâ selectâ varietate lectionis codicis Alexandrini atque editionum Complutensis et Aldinæ. in-4°, à deux colonnes. *Prix :* 75 *centimes.*

JOANN. TH. BEELEN, etc. DISSERTATIO THEOLOGICA, qua sententiam vulgo receptam, esse Sacræ Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur. *Prix : 1 franc.*

SOUS PRESSE :

JOANN. TH. BEELEN, etc. COMMENTARIUS IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS.

JOANN. TH. BEELEN, etc. GRAMMATICA GRÆCITATIS LIBRORUM NOVI TESTAMENTI.

Frazer